DECII IVNII

IVVENALIS AQVINATIS SATYRAE

EX MANVSCRIPTIS RESTITVTÆ.

ET IN EAS

Commentationes, Obseruationes, & Paralipomena

BERNARDI AVTVMNI *Nitiobrigis, in Senatu Burdigalensium patroni.*



PARISIIS,

Apud ROBERTVM FOÜET via Iacobæa, sub signis Temporis & Occasionis.

M. DC. XIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

AD BERNARDVM AVTVMNVM.

Berſephiæ diſtillat aquas, dat nardus odores,
Dat muſto grauidas Autumnus pomifer vuas.

MARIVS GASCONIVS.

Inſignia familiæ Autumnorum vitis cum pomo.

Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus vuæ,
Tu decus omne tuis, poſtquam te fata tulerunt.

Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.

TERENTIVS natione Maurus.

ILLVSTRISSIMO VIRO, NICOLAO BRVLARTO,

DOMINO SILLERIENSI, VICEcomiti Puisiensi, summo Galliarum Procancellario, & Quæstori sacri Palatij.

BERNARDVS AVTVMNVS D.D.D.

PRISCIS literarum monumentis proditum legimus (Vir clarissime) homines esse quosdam in Scythia, qui vnum tantùm in media fronte oculum habent, Arimaspi nomen est: quos & Æschylus ex eo μονοπὰς vocat. sed qui veritatem rei diligenter scrutati sunt, eam gentem arcu & sagittis excelluisse dicũt, quas cùm dirigerent, alterum, vt fit, oculum clauderent, adsiduique in eo studio essent, dicti sunt vno tantùm oculo vti, altero contractiore. Verùm quod de Arimaspis dicitur, Veterum Poëtarum scriptis accidisse videmus. Nam ex his quædam sunt clara & perspicua, alia obscuriora, tropis, figuris ac figmentis tecta: Ideo critici in interpretandis & castigandis Poetarum scriptis, inducunt eos non tam loquentes quæ illi cogitarunt, quàm quę

ipsi sibi finxerunt, & ita dum se lucem dare profitentur, excœcant. Idcirco Plato in lib. de legibus edicit in omni Republica pręscribi, cauerique oportere, ne cui liceat quæ composuerit, aut priuatim ostendere, aut in vsum publicum edere, antequam ea, constituti super id iudices viderint, nec damnarint. Vtinam hodieque seruaretur hæc lex: neque enim tam multi scriberent, neque passim eminentissimis authoribus violentas manus inferrent. ex hoc fonte persuasio illa exitialis & prodigiosa manauit, Poetas scatere erroribus, ideo castigandos & restituendos esse, quod non ex fide manuscriptorũ, sed ex arbitrio animi & proprio motu fieri videmus. periculosum est aliquid mouere è recepta Poetarum veterum lectione, id caute faciẽdum est, non quilibet exulceratis locis manus mẽdicas, sed medicas adhibere debet: non inficior quosdam Criticos & vetustissimos Iuuenalis interpretes multis locis lucem dedisse, non vidisse eos omnia certum est. At quia lex illa Platonis affixa est tabulis, vbi malos mores cum plagiariis illis Criticis affigi oportebat, arbiter eligendus est. Ego verò in te compromitto (Reipublicæ literariæ princeps) scripta hæc offerens, nolo te laudibus onerare, Honores & dignitates maiorum omitto, tua illa non sunt, tuæ sunt animi dotes, quibus excellis, Pietas, Prudentia, Constantia perpetuæ benignitatis, & notio diuini ac humani iuris: dignitas dum ad incognitum venit, donum est, cùm ad expertum, compensatio meritorum: quorum alter debitor iudicij, alter obnoxius est fauori. Tu tuis virtutibus, non fautoribus gloriam literarum, genitricem omnium dignitatum, virtutum omnium sedem, quę-

ſturam ſcilicet conſequutus es. ita peroportunè accidir, vt tu (vir illuſtriſſime) poſt exantlatos in foro, in iudiciis, in intimo ſanctiori ſecretiorique conſilio, in regni procuratione & in legationibus, annos ferè triginta, Cancellario Belleuræo tot iam curis laboribuſque defeſſo & honoratã inclinatæ ætati quietem depoſcenti ſuccederes, in iſta tandem principe togatorum ſede locarere, quæ ſicut arx, decus eſt vrbium, ita illa ornamentum ordinum cæterorum, aliæ quippe dignitates aſſeſſorum ſolatia quærunt: Tua verò dignitas, conſilia principi ſubminiſtrat.

Quis potior iudex? criticiſue quis aptior orbis.

Vale. Lutetiæ An. ſal. 1607. Cal. April.

LECTORI S.

RENARD. AVTVMNVS.

PErcunctanti quid de Iuuenalē sentiam (beneuole lector) leoni similem esse aio, qui magnos habet oculos, palpebrasque perexiguas, vt oculum non poßit penitus obtegere, ideò somni expers esse videtur. Ita hic poëta ingentes ostendit animi motus fabulis adornatos, & aßiduam vigilantiam, intuentique splendor ille sese offert, qui plurimus emicat ab eius virtute. etsi Iuuenalis nomine, non ideò facilis, sed patruus quidam Censor, morosus ac rigidus senex est, à criticis mansuescere iussus, ego velut asymbolus aliquid de meo adfero, idque per tuam æquitatem rogatus amico animo accipe. Vale.

AD BERNARDVM AVTVMNVM.

Sit licet Autumnus senio coniunctus hyberno,
Nec violas, flores nec ferat ille nouos:
Hoc tamen Autumni, rigidus Iuuenalis, in horto,
Qui Iuuenalis erat, flos iuuenilis erit.

STEPHANVS PASCHASIVS PARIS.

IN IVVENALEM

BERNARDI AVTVMNI.

Corruptis sæcli, vitæque reuentibus huius
In praua moribus, queis nullus obloqui,
Nullus adiectæ virtuti castra, satelles
Vult egredi, mentis corruptor integræ,
Et corruptus idem, fælicis copia mensis.
Et messis hæc adest, AVTVMNI *scilicet:*
Qui procul à Latio, per Gallica rura, potentes
Adducis hosce morum censores, quibus
Francia Romuleis discat sua crimina verbis,
Et dicta quondam, iam sibi dici putet.

N. RICHELET Paris.

INTERPRETES IVVENALIS
castigati ab Autumno in hisce commentariis.

Ioan. Britannicus.
Curio Secundus.
Domit. Calderinus,
Georgius Valla.
Probus Vallæ.
Mancinellus.
Ascensius.
Vetus Scholiastes à Pythæo editus.
Turnebus.
Pulmanus.
Lubinus.

SVMMA PRIVILEGII.

HENRICI IIII. Galliarum & Nauarræ Regis Edicto cautum & sancitum est, ne quis cuiuscumque gradus, ordinis, status, conditionis, ac dignitatis, siue sit Bibliopola, Typographus, siue alius quilibet, vel Regnicola, vel externus negotia gerens, quacumque regni & ditionis eius parent fines, librum, qui inscribitur, *Decij Iunij Iuuenalis Satyræ ex manuscriptis restitutæ, & in eas commentationes, obseruationes & paralipomena Bernardi Autumni,* præter Robertum Foüet Bibliopolam in alma Parisiorum Vrbe commorantem, intra sex annos, eadem vel alia maiori, aut minori forma vel quouis modo excudat, vel excudenda curet, vendat ipse, aut quiquam diuendenda mandet, aut denique ab aliis excussa intra eiusdem HENRICI Ditionum fines diuendenda importet, seu quouis alio modo, & prætextu, manifestè aut occultè distrahat, siue sit externus, aut regnicola. Qui secus faxit, præter librorum amissionem, quingentarum librarum mulcta pœnas pendito, quorum dimidia Regio fisco, residua vero pars remanebit ipsi Roberto Foüet, aut ab illo mandatum habentibus: vti latius patet in ipso displomate dato Parisiis. 8. Iunij. 1610.

Subsignat.

Ad mandatum Sacræ maiestatis Regiæ.

RENOVARD.

DECII IVNII
IVVENALIS SATYRAE
EX MANVSCRIPTIS RESTITVTÆ, ET IN EAS

COMMENTATIONES, OBSERVAtiones, & Paralipomena BERNARDI AVTVMNI Nitiobrigis.

SATYRA I.

Queritur otium suum sibi perire, dum ignauus ad fastidium Poëtas recitantes cogitur audire, cùm tamen ipse aliquid possit scribere, quotidie nihil aliud quam recitant mihi historias suas, & fabulas quas scripserunt.

SEMPER *ego auditor tantùm? nunquamne reponam,*
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impunè ergo mihi recitauerit ille togatas,
Hic elegos? impunè diem consumserit ingens
Telephus, aut summi, plena iam margine libri
Scriptus, & in tergo, nec dum finitus, Orestes? 5
Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis, & Æoliis vicinum rupibus antrum,
Vulcani. quid agant venti, quas torqueat vmbras
Æacus, vnde alius furtiuæ deuehat aurum 10
Pelliculæ, quantas iaculetur Monychus ornos:
Frontonis platani, conuulsáque marmora clamant
Semper, & aßiduo ruptæ lectore columnæ.
Exspectes eadem à summo, minimóque Poëta.
Et nos ergo manum ferulæ subduximus, & nos
Consilium dedimus Sullæ, priuatus vt altùm 15

Dormiret. stulta est clementia, cùm tot vbique
Vatibus occurras, peritura parcere chartæ.
Cur tamen hoc potiùs libeat decurrere campo,
20 *Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus,*
Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.
Cùm tener vxorem ducat spado, Neuia Tuscum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma:
Patricios omneis opibus cùm prouocet vnus,
25 *Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat:*
Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero reuocante lacernas
Ventilet æstiuum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ:
30 *Difficile est Satyram non scribere. nam quis iniquæ*
Tam patiens vrbis, tam ferreus, vt teneat se?
Causidici noua cùm veniat lectica Mathonis
Plena ipso, & post hunc magni delator amici,
Et citò rapturus de nobilitate comesâ
35 *Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat*
Carus, & à trepido Thymele summissa Latino:
Cùm te sommoueant, qui testamenta merentur
Noctibus, in cælum quos euehit optima summi
Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ:
40 *Vnciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem:*
Parteis quisque suas, ad mensuram inguinis heres.
Accipiat sanè mercedem sanguinis, & sic
Palleat, vt nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.
45 *Quid referam, quantâ siccum iecur ardeat irâ,*
Cùm populum gregibus comitum premat hic spoliator
Pupilli prostantis? at hic damnatus inani
Iudicio (quid enim saluis infamia nummis?)
Exsul ab octaua Marius bibit, & fruitur Diis
50 *Iratis: at tu victrix prouincia ploras.*
Hæc ego non credam Venusinâ digna lucerna?
Hæc ego non agitem? sed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percussum puero, fabrumque volantem;
55 *Cùm leno accipiat mœchi bona, si capiendi*

Ius nullum vxori, doctus spectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso:
Cùm fas esse putet curam sperare cohortu,
Qui bona donauit præsepibus, & caret omni
Maiorum censu, dum peruolat axe citato
Flaminiam puer Automedon, nam lora tenebat, 60
Ipse lacernatæ cùm se iactaret amicæ.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadriuio: cùm iam sexta ceruice feratur
Hinc, atque inde patens, ac nuda pene cathedra, 65
Et multum referens de Mecœnate supino
Signator falsò, qui se lautum, atque beatum
Exiguis tabulis, & gemmâ fecerat vda?
Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam. 70
Instituitque rudes melior Locusta propinquas
Per famam, & populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis esse aliquis, PROBITAS laudatur & alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, mensas, 75
Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor auaræ,
Quem sponsæ turpes, & prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio versum,
Qualemcumque potest: quales ego, vel Cluuienus. 80
Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Nauigio montem adscendit, sorteisque poposcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas:
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, 85
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando vberior vitiorum copia? quando
Maior auaritiæ patuit sinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca. 90
Prælia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! simplexne furor sestertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere seruo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula septem

95 *Secretò cenauit auus? nunc sportula primo*
Limine parua sedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem prius inspicit, & trepidat, ne
Suppositus venias, ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies, iubet à præcone vocari
100 *Ipsos Troiugenas. nam vexant limen & ipsi*
Nobiscum. da Prætori, da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior est, prior, inquit, ego adsum.
Cur timeam, dubitémve locum defendere: quamuis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ
105 *Arguerint, licet ipse negem? sed quinque tabernæ*
Quadringenta parant. quid confert purpura maius
Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductus Coruinus oueis? ego possideo plus
Pallante, & Licinis. exspectent ergo Tribuni:
110 *Vincant diuitiæ: sacro nec cedat honori,*
Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.
Quandoquidem inter nos sanctissima diuitiarum
Maiestas, etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
115 *Vt colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,*
Quæque salutato crepitat Concordia nido.
Sed cùm summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est,
120 *Et panis, fumusque domi? densissima centum*
Quadranteis lectica petit, sequiturque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur vxor.
Hic petit absenti, nota iam callidus arte,
Ostendens vacuam, & clausam pro coniuge sellam.
125 *Galla mea est, inquit. citiùs dimitte. moraris?*
Profer Galla caput. noli vexare. quiescit.
Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum.
Sportula, deinde forum, iurisque peritus Apollo,
Atque triumphales, inter quas ausus habere
130 *Nescio quis titulos Ægyptius, atque Arabarches:*
Cuius ad effigiem non tantùm meiere fas est.
Vestibulis abeunt veteres, lassique clientes,
Votáque deponunt, quanquam longissima, cenæ,

Spes homini: caules miseris, atque ignis emendus.
Optima siluarum intereà, pelagique vorabit 135
Rex horum, vacuisque toris tantùm ipse iacebit,
Nam de tot pulcris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, vna comedunt patrimonia mensa.
Nullus tam parasitus erit. sed quis feret istas
Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos 140
Ponit apros, animal propter conuiuia natum!
Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pauonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.
It noua nec tristis per cunctas fabula cenas: 145
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit vlterius, quod nostris moribus addat
Posteritas: eadem cupient, facientque minores.
Omne in præcipiti vitium stetit. vtere velis:
Totos pande sinus. Dicas hîc forsitan, vnde 150
Ingenium par materiæ? vnde illa priorum
Scribendi quodcumque animo flagrante liberet
Simplicitas, cuius non audeo dicere nomen?
Quid refert, dictis ignoscat Mucius, an non?
Pone Tigillinum: teda lucebis in illa, 155
Qua stanteis ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcum deducit arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos?
Cùm veniet contra, digito compesce labellum: 160
Accusator erit, qui verum dixerit, hic est,
Securus licet Æneam, Rutilumque ferocem
Committas: nulli grauis est percussus Achilles,
Aut multum quæsitus Hylas, vrnamque secutus,
Ense velut stricto, quoties Lucilius ardens 165
Infremuit, rubet auditor cui frigida mens est
Criminibus, tacitâ sudant præcordia culpâ.
Inde ira, & lacrymæ. tecum prius ergo voluta
Hæc, anime, ante tubas: galeatum serò duelli
Pœnitet. experiar, quid concedatur in illos, 170
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

IN SATYRAM I.

REPONAM.] scribam. Scribendo reponimus rem de qua agitur. Horatius,

Scriptor honoratum si forte reponis Achillem.

Vel significat se vicem illis poëtis referre velle, quorum recitationibus toties vexatus sit, ne eis sit impune. reponam igitur valet, vlciscar eos, vicissimque eis gratiam referam, recitando poëma meum: quorum toties auditor fui. Horat. epist. lib. 1. epist. 1.

Non ego nobilium scriptorum auditor & vltor,
Gramaticas ambire tribus, & pulpita dignor.

Et Seneca epist. 82. ad Lucilium : *Ergo nec quod debet creditori suo reponere quisquam scit alius quàm sapiens.*

THESEIDE CODRI.] Codrus hic poëta humilis tragœdiam Thesei scripsit, de quo Virgilius.

—sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus.

Theseidem autē Codri, longum poëma de Theseo interpretatur, multis diebus recitatum, cùm instar esset Æneidis Virgilianæ, id est, recitatione Theseidos.

IMPVNE.] Sine pœna Thalionis.

RAVCI.] Clamosi. Mart.

Exercet raucos tertia causidicos.

ILLE TOGATAS.] Togatæ sunt comœdiæ Latinæ, & fabulæ scriptæ secundùm ritus, & habitus togatorum, id est Romanorum. Virgilius

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

De togatis comœdiis Varro lib. 1. de Lingua Lat. & Horat.

vestigia Græca
Ausi deserere, & celebrare domestica facta.
Vel qui pretextas, vel qui docuere togatas.

Prætextæ in quibus reges negotia publica agebant. his fabulis Impératorum gesta continentur. prætextas malè tabernarias interpretatur Calderinus.

HIC ELEGOS.] Versiculos de mortuis, aut miserè amantibus. elegi sunt versus impariter iuncti, hexametro & pentametro constant: proprium argumentum elegiacorum versuum est querimonia. Horatius 1. Odarum.

Albi ne doleas plus nimio memor,
Immitis Glyceræ: neu miserabiles
Decantes elegos.

TELEPHVS.] Telephi tragœdia. Telephus Rex Mysorum ab Achille vulneratus, responsum accepit ab oraculo, non posse sanari nisi rubigine eiusdem hastæ. Ouidius:

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hostis,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Alii dicunt sanatum ab Achille herbarum remedio. hinc Claudianus:

Sanus Achilleis remeauit Telephus herbis
Cuius pertulerat vires. & sensit in imo
Lætalem, placidamque manum medicina per hostem.
Contigit, & pepulit quos fecerat ipse dolores.

De bello quod gessit Telephus contra Achillem, Horatius in ode ad Canidiam:

Mouit nepotem Telephus Nereium,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, & in quem tela acuta torserat.

NEREIVM.] Achilem; quia Thetis eius mater, Nerei filia fuit.

SCRIPTVS ET IN TERGO.] Martialis lib. 8. de Picente:

Scribit in auersa Picens epigrammata charta,
Et dolet, auerso quod facit illa deo.

PLENA MARGINE.] extrema foliorum parte. In tergo, retro.

ORESTES.] Orestis tragœdia. hinc Maro lib. 4. Æneid.

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes.

LVCVS MARTIS.] Per lucum Martis, intelligit fabulam Martis, qui in luco compressit Iliam vestalem virginem matrem Romuli. Dio. vel lucum Martis, qui in Ponto erat, & Albæ, pro quocumq; luco dixit, alludens ad ambitiosas Poëtarum descriptiones. Turnebus lib. 20. cap. 5. Flauius coniectaneorum Cent. 1. Legit luctus. & intelligit bellum Troianum. sed prima interpretatio verior est.

ÆOLIIS VICINVM RVPIBVS ANTRVM.] Æthnam montem sacrum Vulcano, qui assiduis ignibus flagrat vicinum Æoliis. Strabo. Æolus est rex ventorum Ellenis filius, à quo ratio ventorum inuenta. Plinius lib. 7. cap. 56. Æoliæ insulæ sunt prope Siciliam, quæ & Vulcaniæ à Latinis appellantur.

VVLCANI VENTI.] Folles. alij iunctim legunt antrum Vulcani. hinc Virgil.

Vulcani domus est, & Vulcania nomine Tellus.

Deinde interpretantur, quid agant venti, quos voluant turbines, quia alij pestilentes sunt, alij salubres. vel quid agant venti. fabulæ de ventis.

ÆACVS.] Iouis Eginæque filius fuit, eum præterea apud inferos bonorum, malorumque iudicem factum fabulæ ferunt, Martialis lib. 10. in maledicum poëtam.

Nec finiantur morte supplicis pœnæ,
Sed modo seueri sectus Æaci loris.

Et Horatius:

Quam pæne furuæ regna Proserpinæ,
Et iudicantem vidimus Æacum.

TORQVEAT VMBRAS.] Indicet torquendas animas.

VNDE ALIVS FVRTIVÆ DEVEHAT AVRVM PELLICVLÆ.] Iasonem

dicit,qui ex Colchis aureum ſuſtulit vellus. Hæc fabula deſcribitur ab Appollonio Rhodio,de qua etiam Catullus,

Cùm lecti iuuenes argiuæ robora pubis
Auratam optantes Colchis auertere pellem.

Diodorus ſcribit lib.4.cap.4. transfretantibus Phryxo & Helle ex Europa in Aſiam ſuper aureo ariete , virginem in mare delapſam nomen Elleſponto dediſſe , Phryxum in Pontum proficiſcentem delatum in Colchida. hinc Ouid.in epiſt.Leandri.

Inuideo Phryxo quem per freta triſtia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ouis.

MONYCHVS.]Centaurus fabulam & pugnam centaurorum ſignificat. Iuuenalis per fabulas intelligit poëtas recitantes tragœdias ex illis fabulis factas.

QVANTAS IACVLETVR MONYCHVS ORNOS.]Lucanus:

Aut te iactantem Monychon *ornos.*

Id. iacientem ornos in Lapythas. Hic locus tenebricoſus ſilentio prætermiſſus eſt ab omnibus Iuuenalis interpretibus,ſed noſtra opera nūc lucem accipit. De certamine Centaurorū hæc Strabo,Cùm in Achileia Pirithous Hyppodamiam duxiſſet vxorem circum vicinos populos, omneſque Deos conuocauit ad nuptias præter Martem : qua re indignatus,Centauros iam mero calefactos , ad rapiendam Hypodamiam concitauit aduerſus Lapythas: eo certamine ferunt Centauros deletos fuiſſe,agro prox. populorum deſolato.Ornus arbor eſt quæ dicitur Fraxinus ſylueſtris.Columella.

FRONTONIS PLATANI.] Fronto vir nobilis fuit. Mart.

Clarum militiæ Fronto,togæque decus.

Synecdoche eſt,platani,pro porticu ; in qua plantani fuerunt. hinc Petronius Arbiter:Rogaui vt in Platanona produceret dominam.Et Martialis lib.3.in Sabidium:

Proxima centenis oſtenditur vrſa columnis ,
Exornant fictæ qua platonona feræ.

In Frontonis domo poetæ recitabant,non in Horatiana domo, vt cenſet vetus interpres à Pytheo editus.

CLAMANT.]Reſonant clamore.

CONSILIVM DEDIMVS SVLLÆ.]Vt Fabius lib.3.ait,plerumque exercitationis gratia ponebantur Priami verba apud Achilem , aut verba Syllæ Dictaturam deponentis in concione,vel Rhetoricem didiſcimus , ex cuius præceptis ficto themate declamauimus, & ſuaſimus Syllæ, in deliberatiuo verſantes,vt deponeret Dictaturam , & altum dormiret. Nam Appianus ſcribit Syllam ſponte,nullo cogēte, Dictaturam depoſuiſſe. Cùm ait *ferulæ manum ſubduximus*, oſtendit ſe ſub præceptore didiſciſſe Grammaticam & Rethoricam. Ferulâ autem vti præceptores triuiales teſtatur Columella. hinc Mart.

Ferulaque triſtes ſceptra pædagogorum
Ceſſent.

Ferula anetho ſimilis nulli fruticum leuitas maior.Feſtus.

ARVNCAE ALVMNVS.] Ausonium Vlyssis, Calypsusque filium, vrbem Aruncam condidisse ferunt, à quo etiam Ausonia dicta est, vt inquit Festus. Fuerunt autem Arunci populi antiquo in Latio. Alumnus Auruncæ Lucilius princeps satyricus. Horat. lib. 2. saty. 1.

quid cum est Lucilius ausus

Primum in hunc operis componere carmina morem.

Alumnus Auruncæ dicitur, quia in Arunca vrbe, parte Italiæ educatus est.

FLEXIT EQVOS.] Exercuit vires animi. Probus apud Vallam.

VXOREM DVCAT SPADO.] Vna ex rationibus quibus poeta motus scribit Satyram. adulteræ nubebant spadonibus, quibus oblectatę fuerant ne supplicio afficerentur. Martialis.

Quod nubis Proculina concubino,
Ne lex Iulia te notare possit:
Non nubis Proculina, sed fateris
Et mœchum modo nunc facis maritum.
At prius, ô mores, & spado mœchus erat.

SPADO.] Eunuchus, spado propriè dicitur, cui aut testes euulsi sunt, aut nerui è quibus testes dependent.

NAEVIA.] Mæuia legit Calderinus, mulier impudica & infamis. Næuia etiam fuit impudica. Martialis lib. 1. de Ruffo & Nęuia.

TVSCVM FIGAT APRVM.] In Tuscia ferociores erant apri. Mart.

Tusciæ glandis aper populator & ilice multa
Iam piger, Ætolæ fama secunda feræ.

PATRICIOS.] Generosos, nobiles. Romulus centum senatores creauit, Patres ab honore, Patriciique eorum filij appellati sunt. Liuius Decadis 1. lib. 1.

QVO TONDENTE.] Imitatio Virgiliana,

Candidior postquam tondenti barba cadebat.

inquit Virgilius. De Cinnamo sua tempestate tonsore loquitur Poëta, qui donis mulieris eques factus erat. Martialis in Cinnamum.

Qui tonsor fueras tota notissimus vrbe
Et post hæc dominæ munere factus eques.
Sicanias vrbes Æthnæaque regna petisti,
Cinname, cùm fugeres tristia iura fori.
Quod superest iterum, Cinname, tonsor eris.

CVM PARS NILIACÆ PLEBIS.] Crispinus fuit ex plebe Ægypti, & ex seruis Ægyptiis, qui è Nilo Romam adducebantur. Mart. lib. 5. in Callistratum.

Magnaque Niliaca seruit tibi gleba Syenes.

& lib. 12. ad Flaccum.

Cùm tibi Niliacus portet crystalla Cataplus

Nilus fluuius est Ægypti.

CVM VERNA.] Seruus ex ancilla dominatus verno tempore. Festus & Nonius. hinc vernaliter officio fungi apud Horat. Sat. 6. lib. 2.

Veluti succinctus cursitat hospes.

Continuatque dapes;necnon vernaliter ipsis
Fungitur officiis.

Martialis:

Sit mihi verna satur,sit non doctißima coniux,
Sit nox cum somno,sit sine lite dies.

Canopi.]Canopus ciuitas Ægypti, Seruius ait esse iuxta Alexandriã. Tacitus lib.2. Annal. Germanicus Nilo subuehebatur, orsus oppido à Canopo, condidere id Spartani ob sepultum illic rectorem nauis Canopum. Propert.

Scilicet incæsti meretrix regina Canopi
Vna Philippæo sanguine inusta nota.

Cleopatra scilicet regina Ægypti.

Crispinvs.] Niliacus à Domitiano ex seruo factus eques, de quo Martialis ad Crispinum.

Sic placidum videas semper Crispine tonantem,
Nec te Roma minus,quàm tua Memphis amet.

Tyrias lacernas.]Chlamydes,aut Abollas ex purpura Tyria,quæ praeciosissima erat à Tyro vrbe Syriæ celeberrima. Ouidius:

Siue eris in Tyriis,Tyrios laudabis amictus.

Lacerna vestis virilis,& ferè militaris erat, Græcè chlamys nominatur. Persius.

Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

Ventilet æstivvm.] Luxuria annulos æstiuos,& hyemales inuenit,hyberni maioris põderis,æstiui leuioris erant. Probus auctor minimè improbus,& Turnebus vir apprimè eruditus lib.20.cap.2.

Satyram.] Carmẽ varia hominum vitia carpens Satyra,vnde & libri Varronis de rebus diuersis, Satyræ inscripti, vt Satyra, erat lancis genus diuersis referta frugibus,& lex Satyra, quæ vna rogatione multa & diuersa capita complectebatur: vel,vt Festus ait,cibi genus fuit ex variis rebus conditum ; vel lex multis aliis confecta legibus, à diis Satyris petulantibus est dicta.Horatius de Arte poëtica.

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudauit.

Solebant enim veteres poëtæ introducere Satyros deos petulantia & obscœnitate gaudẽtes, qui vitia turpia & fœda verba reprehenderent.

Mathonis.]Patroni,qui sceleribus diues effectus est.hic delator erat. Martial.

Parua rogas,magnos,sed non dant hæc quoque magni,
Vt leuius pudeat,iam Matho parua roga.

Plena ipso.]Quia pinguis & crassus fuit.

Magni delator amici.]Marcus Regulus, Imperatoris amicus delatorib. etiam aliis erat formidabilis,de quo vide Plinium Iuniorem.

Raptvrvs de nobilitate comesa.] Consumpturus delationibus suis illos qui supersunt ex Patriciis: Plures enim è nobilibus proscripti, occisique fuerunt à Sylla.

Massa.]Alius delator Bebius Massa.

CARVS.]Metius Carus delator,de quo Tacitus in vita Agricolæ,Vna adhuc victoria Carus Metius censebatur,& infra. Massa Bebius iam tum reus erat.Plinius Secundus ait Massam & Carum fuisse insignes calumniatores.Massa morio Traiani fuit,& Carus eiusdem Traiani nanus,vt inquit Probus apud Vallam.

A TREPIDO THYMELE SVMMISSA LATINO.]Latinus Domitiani mimus fuit,cuiusquidem iocis, & Thymeles ipse delectabatur.Martialis,

Qua Thymelem spectas derisoremque Latinum,

Illa fronte precor carmina nostra legas.

Turnebus lib.20.cap.8.Vt Latinus deprecatrice mœcha vsus est,sic pro se quosdam ad delatorem placandum deprecatores mittere.

NOCTIBVS.] nocturno coitu.Persius.

Mane caput bis,terque & noctem flumine purgas.

VETVLÆ VESICA BEATÆ.] Membrum libidinis matronæ prouectæ ætatis.Vesica est folliculus in quo vrina colligitur. Plinius lib.11.cap.37. Infra aluum est à priore parte;hic pro vulua sumitur,beatæ,diuitis.

IN COELVM.] ad summa fastigia.

VNCIOLAM PROCVLEIVS HABET.] Adulter habens membrum virile paruum , habet ex testamento vetulæ solùm vnicam, id est duodecimam partem hæreditatis,& eam imminutam.Turnebus lib.28.cap. 24. Nomen inquit,Proculei positum esse à poëta suspicor, ob Proculeium amicum Cæsaris Augusti, hominem eximiæ virtutis, de quo Horat. lib.2.ode 2.

Viuet extento Proculeius æuo

Notus in fratres animi paterni.

Calderinus verò,Hic inquit,pro viro bono & minime mētulato ponitur,sed fallitur Turnebus sequutus Calderinum. non enim hic loquitur Iuuenalis de Proculeio equite viro optimo , qui tantæ pietatis in fratres fuit,vt bona cum his iterum æqua portione diuiserit,cum bellis ciuilibus attriti essent. nam vt apparet,Iuuenalis loquitur de adultero, & non de viro optimo.

SED GILLO DEVNCEM.] Adulter qui habet magnum penem,deuncem,i. vndecim vncias.

INGNINIS.] Membri virilis. tamen inguen est genitale tam virorum quàm fœminarum. Suetonius in Nerone : Virorum ac fœminarum ad stipitem deligatorum , inguina inuaderet, scilicet ore.

MERCEDEM SANGVINIS.] Nimio coitu emittitur sanguis , & ideò palleat.

ANGVEM.]Serpentem,vulgò coluber vocatur.Virg.

Frigidus,o pueri,fugite,hinc latet anguis in herba.

AVT LVGDVNENSEM RHETOR DICTVRVS AD ARAM.] Vt Suetonius scribit in Caligula,Caligula in Gallia Lugdunēsi certamen Græcæ Latinæque facundiæ instituit : quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse,eorumdem & laudes componere coactos, eos

autem qui maximè displicuissent, scripta sua spongiâ, linguâue delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent, Oratores igitur illic dicturi pallebant supplicij metu.

SICCVM IECVR.] Quia ira incallescit. Hepar græcè dicitur. Horat. lib.1.ode 13.

Meum feruens difficili bile tumet iecur.

GREGIBVS COMITVM.] Multitudine clientum & seruorum.

PVPILLI PROSTANTIS.] Quia spoliatus bonis paupertate cogitur turpitudine corporis quæstum facere. Prostare est ante lupanar stare, & expectare aduentantes ad stuprum vel prostibulum, quòd ante stabulum stet quæstus diurni ac nocturni gratia. Nonius Marcellus.

INANI IVDICIO.] Non ademptis bonis. inanis, vacuus.

EXVL AB OCTAVA MARIVS BIBIT.] Plin.lib.2.epist.11. Marius Priscus accusantibus Afris, quibus proconsul præfuit, omissa defensione iudices petit, ego & Cornelius Tacitus adesse prouincialibus iussi, existimauimus fidei nostræ conuenire, notum senatui facere, excessisse Priscum immanitate & sæuitia crimina quibus dari iudices possent, cùm ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset, ab octaua, qui iudicio vacabant. decima hora cœnabant, hic ab octaua hora à solis ortu secunda. nam dies ciuilis Romanis media nocte incipiebat vsque ad meridiem.

FRVITVR DIIS IRATIS.] Qui licèt eos infensos habeat, non punitur ab illis.

PROVINCIA PLORAS.] Quia non restituitur tibi à Mario pecunia.

VENVSINA DIGNA LVCERNA.] Lucubratione Horatiana, Horatius Venusinus erat, Venusia Dauniorum Colonia fuit, in Appulia, vt scribit Plin. siue à Venesio vbi Laternæ leues fuerunt, quæ vilissimi venibant. Probus apud Vallam, à quo vetus scholiastes mutuatus est quæ hic dicit, sed neuter bene. Horatius fuit præcipuus ad notandos hominum mores, vt ait Fabius lib.10. Persius.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico,
Tangit, & admissus circum præcordia ludit.

Horatius Flaccus Satyricus poëta libertino patre Venusi nascitur, inquit Eusebius in Chronicis.

HERACLEAS.] Herculis ærumnas, & fabulas. Cic.6.in Verrem, nominat pocula Heraclea quæ ab Hercule nomen habent. Turnebus lib. 8.cap.10.

DIOMEDEAS.] Diomedis fabulas. Diomedes fuit rex Thraciæ, quem occidit Hercules, & eius equos, humana carne vescentes.

MVGITVM LABYRINTHI.] Mugitum Minotauri, i. fabulam Minotauri qui erat in labyrintho, vxore Minois & Boue natus, Virg. 6. Æneid. Propert.

Vxorem quondam magni Minonis, vt aiunt,
Corrupit torui candida forma bouis.

Ea quæ de Minotauro dicuntur, quem Philochorus in 2. Attidis libro scribit magistratum Minois fuisse Taurum nomine inhumanũ atq;

crudelem, & quia Minos super mortem Androgei agonem statuerat præmij nomine pueros Atticos largiens, & ille in agone fortissimus vniuersos contentione superabat, tandem factum est vt a Theseo in palæstra vinceretur, ob quod Athenienses pueri tributaria pœna liberati sunt.

ET MARE PERCVSSVM PVERO.] Dædalus à Pasiphae absconditus nauibus, cùm nullo modo euadere Minoïs iram posset, sibi & filio fabricauit alas. Icarus altiùs volans, in mare cecidit. Ouid. lib. 2. de Arte amandi.

Icare clamabat, pennas aspexit in vndis,
Ossa tegit tellus, æquora nomen habent.

FABRVMQVE VOLANTEM.] Dædalum. Horat.

Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.

CVM LENO ACCIPIAT MOECHI BONA.] Fabulas potius scribam, quàm quæ debent ab omnibus reprehendi, vt lenocinium mariti, qui vendit pudorem vxoris adultero, quia licèt vxor non possit succedere adultero, maritus leno succedit.

LACVNAR.] Connexionem trabium in tabulatis. Horatius,

Non ebur neque aureum mea renidet
In domo lacunar.

VIGILANTI STERTERE NASO.] Dormiendo strepitum per nares emittere, naso vigilanti, quia non dormiat, sed somnum simulet. Britannicus.

CVRAM SPERARE COHORTIS.] Præfecturam cohortis prætoriæ. Cohors continebat sexcentos. vel cohors est pars decima legionis. Cornelius Fuscus auriga Neronis fuit, vt illi placeret, præfecturam cohortium prætorianarum sub Domitiano adeptus. Suetonius in Domitiano.

BONA DONAVIT PRÆSEPIBVS.] Equis alendis.

PERVOLAT AXE CITATO FLAMINIAM PVER AVTOMEDON.] Auriga Neronis, sicut Automedon auriga Achillis, quasi volando percurrit commotis rotis Flaminiam viam, à Caio Flaminio stratam. Virgilius Æneid. lib. 2.

Vna ingens Periphas, & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon.

Axis, stipes teres circa quem rota vertitur Festus. hinc Mart.

Vtilis vngendis axibus esse potes.

LACERNATÆ CVM SE IACTARET AMICAE.] Satyrice loquitur de Sporo, quo Nero vt muliere abutebatur. Suetonius in Nerone. Puerum Sporum, exectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est: cum dote & flammeo. Per solemne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro vxore habuit, hunc Sporum augustarum ornamentis excultum, lecticaque vectum, & circa conuentus, mercatusque Græciæ, ac mox Romæ, circa sigillaria comitatus est identidem exosculans. Iactaret, comitaretur.

CERAS CAPACES.] Ceratas tabulas. in ceratis tabulis antiqui scribebant.

QVADRIVIO.] Loco publico, in quem quatuor viæ confluunt.

SEXTA CERVICE FERATVR.] Sex viris, hexaphoro feratur. Regulus ille omnium bipedum, vt Plinius Iunior ait, nequissimus. faciente luxuria cathedra.i.lectica, à sex hominibus portabatur. Martialis lib. 6. in Afrum.

Inuidiosa tibi quàm sit lectica requiris,
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Et Iuuenalis Satyra 6.

— pedibus silicem quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur ceruice Syrorum.

Ceruix propriè est posterior colli pars.

DE MECOENATE SVPINO.] Molli, & delicato. nam Mecœnatem mollem fuisse legimus, vestium præsertim elegantia. Horat. eum malthinum appellat, quod mollem significat. Malthinus tunicis demissis ambulat. Mecœnas equestris ordinis fuit regia stirpe oriundus. Horatius.

Mæcenas attauis edite Regibus.

GEMMA FECERAT VDA.] Madefacta, tacta saliua propter signaculi impressionem. gemma vda.i. annulo signatorio.

MOLE CALENVM.] Vinum Calenum è Campania. Cales vrbs in primis eximia adiuncta Casilino est. Horatius od. xx.

—prælo domitam Caleno
Tu bibes vuam.

RVBETAM.] Ranæ rubetæ viscera venenosa sunt vt ait Plinius. hinc Propertius.

Illum turgentis ranæ portenta Rubetæ,
Et lecta exectis anguibus ossa trahent.

MELIOR LOCVSTA PROPINQVAS.] Locustam matronam veneficam ex Gallis Nero accersiuit. propinquas vocat Poëta discipulas, à Locusta doctas, illius opera Nero Britannicum sustulit. de Locusta vide Tranquillum in Nerone. sensus, ipsa matrona, tanquam locusta, melior & peritior cæteris instituit rudes discipulas.

PER FAMAM ET POPVLVM.] Per famam populi, nigros veneno sublatos.

AVDE ALIQVID BREVIBVS GYARIS.] Gyarus Insula ex Cycladibus vna, locus exilij grauissimi in freto Siculo, vel in mari Ægeo, vt alij volunt cum oppido vna Sporadum circuitu duodecim millium passuum. Plinius lib. 4. cap. 13. Illuc autem noxij mittebantur. Tacitus Annalium lib. 3. ille (scilicet Piso) multum de clementia principis præfatus, aquâ, & igni Syllano interdicendum censuit, ipsumque in insulam Gyarum relegandum.

SI VIS ESSE ALIQVIS.] Id est magnus, magnum committe scelus.

PROBITAS LAVDATVR, ET ALGET.] Frigore premitur, Terentius,

ne aut ille asserit, aut vspiam ceciderit.

CRIMINIBVS DEBENT HORTOS, PRÆTORIA MENSAS, ARGENTVM VETVS.] Hortos & ædificia Prætoribus digna. Mart.

Ad lapidem Torquatus habet Prætoria quartum.

Et Sueton. in Tito. Cuncta Prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinauit, & mensas citreas, ex precioso ligno, & argentum vetus, argentea vasa veteris cælaturæ debent criminibus. i. habent, & comparant criminibus.

STANTEM EXTRA POCVLA CAPRVM.] Caper Latinè dicitur, qui ex-castratus est hyrcus. Caper in cęlatura poculorum erat. Mart.

Stat Caper in phiala Thebani vellere Phryxi.

QVEM PATITVR DORMIRE NVRVS.] Socer corruptor nurus auaræ, ne scribat Satyram, Poëtam patitur silere.

QVEM SPONSÆ TVRPES.] Pueros intelligit qui viris nubebãt, quem Poëtam scilicet patiuntur etiam dormire, & tacere.

ET PRAETEXTATVS ADVLTER.] Non mouetur, quod puer sit adulter, puer in prætexta; sed eo quod fraude fiat adulter: Prætexta erat toga; cui purpura prætexebatur: nobiles tantum pueri prætexta vtebantur: toga viliorum erat, prætexta honestiorum. Pædianus lib. 2. Verrinarum.

CLVVIENVS.] Hunc sui temporis malum Poëtam etiam carpit.

EX QVO DEVCALION.] A tẽpore Deucalionis. Deucalionis & Pyrrhæ temporibus fuit Diluuium ipsi duo quia iusti erant, non periere aquis. sensus ex quo genus humanum reparatum est. Deucalion rex Thessaliæ fuit. Ouid. lib. 1. Metamorphoseon.

NIMBIS.] Nimbi propriè dicuntur repentinæ & præcipites pluuiæ, hîc pro aqua, & ventis sumuntur. nauigio. i. parua rate.

SORTESQVE POPOSCIT.] A Themide quæ ante Appollinem responsa dabat. Sciscitaturus quo pacto si ita Diis placeret, posset humanum genus reparari. Ouid. lib. 1. Metamor.

Dic Themi quà generis damnum reparabile nostri

Arte sit, & mersis fer opem mitissima rebus.

Themis Saturni soror hominibus præcipiebat id quod fas erat, Festus. Temporibus Deucalionis & Pyrrhæ eius vxoris, Diluuium fuit quo vniuersus orbis submersus est, Deucalion solus cum Pyrrha in cacumẽ montis Parnassi fugiens, illic tandiu fuit, quoad æquor descendit: deinde oraculum Themidis consuluit. Iustinus.

PYRRHA.] Vxor Deucalionis, de qua Hora. lib. 1. Ode 2.

Terruit gentes graue ne rediret

Seculum Pyrrhæ, noua monstra questæ.

QVIDQVID AGVNT HOMINES, VOTVM.] Archimedes, vt ait Cicero, velut Deus terrenus mechanico artificio sphęram vitream fecit, in qua mira arte dissimiles motus cœlorum visebantur, sic Iuuenalis mirabili doctrina affectus, & perturbationes animi in hoc opere describit.

DISCVRSVS.] Itus, & reditus, vt discurrendi actus, Cæsar lib. 8. de

bello Gallico, magno clamore discursuque, passim se fugæ mandans.
Martialis lib.7.

Discursus varios vagumque mane
Et fastus & aue potentiorum.

Discursus sunt varij affectus.

FARRAGO.] Diuersa materies.farrago propriè appellatur id,quod ex pluribus satis pabuli causa datur iumentis,authore Festo.

SINVS.] Receptaculum auaritiæ, vel maior sinus, metaphora à nauigantibus,quorum vela quanto maiorem explicant sinum, tanto maiorem vim ventorum excipiunt.

ALEA.] Ludus aleæ.

LOCVLIS.]Crumenis.Plautus in Casina: *Candidatus sedit hic mastigia stimulorum loculi.* Et Martial.

Hos nisi de fulua loculos implere moneta,
Non decet argentum, vilia ligna ferant.

DISPENSATORE ARMIGERO.] Occonomo. Metaphora à bellantibus, id est,qui arma præbet,tesseras & tabulas , & ipse qui nummos sub pignore portat,vel qui subministrat pecuniam.

SESTERTIA CENTVM.] Sestertius nummus duarum librarum & semis est,vt ait Probus,author Vallæ solùm notus: vel sestertia centum, duo millia ducenta & quinquaginta coronatorum.nam sestertium mille nummos valet.

HORRENTI TVNICAM.] Tunica interior vestis,horrenti & horrido frigore scilicet.Persius.

Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

FERCVLA SEPTEM.] Varia & diuersa genera cibatiorum. Martialis.

— cœnæ fercula nostræ
Conuiuis malim quàm placuisse coquis.

Queritur Poëta de luxu Romanorum,qui clientes ad conuiuia non admittebant, nec iam rectam cœnam, sed sportulam dabant. Vel alludit Poëta ad septem viros epulones,quorũ cœna lautissima erat.Nam solis pontificalibus epularum luxus tantùm cœnis concessus erat,testis Macrobius in Capitolio:Eadem luxuria inter priuatas ædes mēsa paratur.

SECRETO.] Non in publico conuiuio cœnæ vice dabatur pecuniaria sportula.Turnebus lib.20.cap.8.

COENAVIT AVVS.] Antiquus tam luxuriosus.

SPORTVLA.] Vt Asconius lib.2. Verrinar.ait sportæ,sportulæ, sportellæ,munerum sunt receptacula, hic continens pro contento,methonymicos sumitur,& munus significat.

TVRBAE RAPIENDA TOGATAE.] A seruis & pauperibus.nam toga, vt suprà dixi,viliorum vestis erat.

TROIVGENAS.] Romanos insignes à Troianis oriundos.

DA PRAETORI.] Vrbano,qui inter vrbanos ius dicebat. Prætor dictus,eo quòd præiret iure & exercitu.

TRIBVNO.]Tribunus,qui plebem defendebat, ex plebe creabatur.

LIBER

LIBERTINVS.] Seruus cùm manumittitur fit libertinus. nam vt ait l. 6. de statu hominum, D. libertini sunt qui ex iusta seruitute manumissi sunt. olim verò l. Appii cæci temporibus, & deinceps aliquandiu libertini dicebantur, non ipsi qui manumittebantur, sed ingenui & ex his procreati, vt scribit Suetonius in Claudio. quam differentiam obseruare Modestinus videtur in l. 1. de excus. tutor. D.

NATVS AD EVPHRATEM.] Iuxta fluuium illum Mesopotamiæ; qui est in Arabia, Poëta denotat seruilem conditionem.

IN AVRE FENESTRÆ.] Scissuræ quas habeo more patriæ in aure, probarint me esse libertinæ conditionis, vt Plinius scribit, in Oriente viri decoris gratia in auribus aurum gestant. Plautus in Penulo, quia incedunt cum annulatis auribus.

SED QVINQVE TABERNÆ QVADRINGENTA PARANT.] Quinque quas habeo in foro tabernæ parant mihi censum equestrem. Turneb. lib. 20. c. 8.

LAVRENTI CVSTODIT IN AGRO.] Laurentum oppidum erat prope Lauinium antiquo in Latio. Liuius.

CORVINVS.] Diues & nobilis vir Coruinus, qui cognomen sumpsit à Valerio Coruino, qui Consule Camillo, Furii Camilli filio singulari dimicans certamine aduersus præferocem Gallum, eum confecit adiuuante coruo, qui galeæ Coruini insidens, vnguibus & rostro in Gallum insiliebat, itavt parta victoria Valerius Coruinus sit cognominatus.

PALLANTE ET LICINIS.] Licinius & Pallas in aula Claudii Cæsaris præpositi curam Reipubl. gesserunt, ditissimi, sed libertinæ fuerunt conditionis. Pallas Claudii libertus, Prætoris ornamentis donatus per Claudium. De Pallante Tacitus Anna. lib. 12. additum à Scipione Cornelio grates publicè agendas, quod regibus Arcadiæ ortus veterrimam nobilitatem vsui publico postponeret, seq; inter ministros Principis haberi fineret, asseuerauit Claudius contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere. vide quæso, mancipium Pallantem ad Regum stirpem refert, quia Pallas aliquis Virgilio aliisque inter Arcadum Reges. de Pallante filio Euandri Regis Arcadiæ. vide Virgilium Æneid. 10. & 11. nos hunc seruum trans mare aduectum inter venales ex Plinio scimus, & eundem Antoniæ Matri seruisse ex Iosepho lib. 18. De Licinio idem Tacitus lib. 1. historiarum. Hunc Licinium ditissimum etiam fuisse innuit Persius Satyra.

— & spem macram supplice voto,
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

PEDIBVS QVI VENERAT ALBIS.] Cretatis namque gypsatisque calceis venalicii serui induti prostituebantur. Plinius lib. 35. cap. vlt. vbi de hoc ipso Claudii liberto fit mentio. est & vilissima creta, qua pedes venalium trans mare aduectorum denotare instituerunt maiores. Catull.

— regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit.
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Gypsatos creta denotatos, Brodæus Miscell. cap. 17. lib. 1.

SACRO NE CEDAT HONORI.] Non det locum honori sacro, id

eſt,tribunitiæ dignitati, quæ ſacra eſt. Liuius.

MAIESTAS.]Amplitudo,dignitas,Cicero de Oratore à magnitudine dicta eſt,authore Feſto,& Liuius lib.3. Decad.1. tantæ tempeſtati cùm ſe Conſules obtuliſſent, facilè experti ſunt, parum tutam maieſtatem ſine viribus eſſe.

FVNESTA.]Funere inquinata, furtis & parricidiis congeritur. Liuius lib.5. de bello Macedon. 12. funeſtum bellum: & Cicero, funeſta dies Allienſis pugnæ.

PECVNIA TEMPLO NONDVM HABITAS.] Diuus Auguſtinus & Varro dicunt pecuniam cultam fuiſſe ſub nomine dei Æſculani, id etiam Arnobius aduerſus Gentes lib. 4. teſtatur, licet contrarium dicat hîc Iuuenalis.

CONCORDIA NIDO.] Angelus Politianus Miſc. cap. 67. pro comperto inquit, iam habetur, Ciconiam denique eſſe qua concordiæ re preſentaretur apud Priſcos effigies, atque ita verſiculum Iuuenalis omnes interpretantur.

Quæque ſalutato crepitat concordia nido.

De eo tamẽ nullũ afferunt teſtimonium quod authoritatis adminiculo ſuſtentetur, ego cornicem magis accipio ductus Æliani Græci ſciptoris teſtimonio, qui libro de animalibus tertio de hac aui ſic propemodum ſcribit, Cornices inquit, inter ſe fidiſſimæ ſunt, & cùm ſocietatem coierint, maximo ſe opere diligunt, neque id genus animalia videat quiſpiam licenter miſceri, & temere quum hoc quoque dictitant, qui res iſtiuſmodi callent altera extincta, comparem viduam degere. Cæterum id quoq; audio, veteres in nuptiis poſt Hymenæum cornicem inuocare, ſignumque id concordiæ dare iis conſueſſe, qui liberûm quærendorum gratia conueniſſent. Et ſi Politiani iudicium & authoritas, quæ apud ſummos principes in maximi momenti negotiis merito plurimum valeat, & non minus apud homines eruditos, propter multiplicem & exquiſitam in omni genere laudandarum artium doctrinæ copiam probari debet; tamen certioribus tum rationibus, tum exemplis auſim aſſerere poëtam alluſiſſe ad ciconiam concordiæ dicatam, ſub cuius forma colebatur, vt Plinius ait cap.37. lib. eximia ciconiis pietas ineſt. Etenim quãtum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipſæ aluntur à pullis ſuis inuicem, in tutela concordiæ ciconia eſt. Templum Concordiæ vetus fuit in quo ciconia multa. Merula, Britannicus & Turnebus de ciconia poëtam loqui autumant. In libro collegii Catharinæ ſcriptum eſt, ciconia nido, quam lectionem Iacobus Suzius probat.

SVMMVS HONOR.] Senatorum, inquit vetus Interpres, vel ſummus honor. i. Prætor, Tribunus, quia de his loquitur ſupra, non de ſenatoribus.

COMITES.]Quid facient paraſiti.

CENTVM QVADRANTES.]Viginti quinque aſſes.

GALLA MEA.]Vxor mea.

FORVM IVRISQVE PERITVS APOLLO.] Quia iuxta Apollinis templum iuriſperiti ſedebant, & tractabant iura, forum Auguſti intelligit. Nam ibi ſtatua Apollinis eburnea fuit, vt inquit Plinius. Horatius Saty. 9. lib. I.

— *sic me seruauit Apollo.*

i. iudices sedentes in foro.

TRIVMPHALES TITVLOS.] Triumphales statuæ erant in foro Augusti, quas ipse dedicauerat, inter quas tandem Crispinus non veritus sit collocari homo libertinus. Tacitus. Tigillino & Cocceo statuæ datæ sunt inter triumphales.

ÆGYPTIVS.] Ex Ægypto, Crispinus scilicet. Ægyptus Asiæ prima pars, cui propinqua Arabia est, vt Mela scribit. Ideo Iuuenalis addit, atque Arabarches.

ARABARCHES.] Cuiacius Tolosas Iurisconsultorum nostri temporis facile princeps, in aliena castra migrans, non vt transfuga, sed vt explorator legit hic Alabarches Obserua. lib. 8. cap. 37. his verbis. lex 9. Cod. de vect. & com. loquitur de vectigali Alabarchiæ per Ægyptum, & Augustanicam constituto, quæ duæ sunt prouinciæ dioceseos Ægypti: Lego Alabarchiæ nõ Arabarchiæ, qui error etiã est in Cic. 2. ad Atticum & Iuue. Saty. 1. aut sanè vtrumque rectum est, vt ἀρχάλιον ἀλχάλιον φεγγί-λιον φλαγγέλιον. lego Alabarchiæ, vt Iustinia. edicto τὸ κϛ' χαρὸν ἀλαβάρχη. & paulò post: προστῦπς ἀλαβαρχῶν. & Iosephus 18. ἀρχαιολογίας meminit Alexandri cuiusdam Alabarchæ, & 20. τῦ ἀλαβαρχήσαντος in Alexandria. Legendum etiam in d. l. nona præbitione pro prohibitione, ait ne animalia transducantur sine præbitione solita. i. sine vectigali Alabarchiæ, ex quo apparet vectigal Alabarchiæ, esse id quod pro transductione pecorum infertur. ἀλαβα est scriptura, siue attamentum quo scribimns, vt Phauorinus ait. Sic Latinè vectigaliorum ratio scriptura dicta est. Et vectigalibus præpositus magister scripturæ, siue Alabarches: qua ratione Cicero Marcum Antonium Alabarchem vocat, quod multa vectigalia exegisset ex Ægypto, non Arabarchen, quod domuisset Arabiæ partem. Alciatus prætermiss. lib. 1. in verbo Arabarches, extat inquit Impp. Val. Grat. Theod. constitutio in hæc verba vsurpationem, totius licentiæ submouemus circa vectigal Arabarchiæ per Ægyptum atq; Augustanicam constitutum: nihilque super transductione animalium vendicari permittimus, quæ ex Arabia in Ægyptum deuehebantur. Vt sit illud nomen officii publicanorum. Meritò ergo Iuuenalis Alexandrum natione AEgyptium, vt Tacitus lib. 17. scribit, taxans Arabarchen appellat, atque triumphales, inter quos ausus habere nescio quis titulos AEgyptius, aut Arabarches, vt non immerito damnandi sint, qui simpliciter mollem accipiunt, idque editis annotationibus probant. Quapropter & in epistolis Marcus Tul. ad Attic. appellat Arabarchen Marcum Antonium, quasi AEgyptium publicanum: extorquebat enim ab illis ingentia vectigalia, vnde pecuniam conflaret quam deinde prodigeret, vt est apud Plutarchũ. Memorat & Eusebius Cæsariensis lib. 11. sacræ historiæ Alexandrum Arabarchen, & etiam Iosephus lib. vlt. de antiquitate Iudæorum, apud quem Ruffinus, præfectum salis interpretatur, quasi ἀλαβάρχην legisset, qua in re dubito, ne sicut in aliis plerisque, in eo quoque fallatur Ruffinus: quem lacessere numquam desinit Hieronymus. Turnebus Aduersariorum lib. 27. cap. 25. versus est inquit, Iuuenalis Saty. 1. Grammaticorũ indigens lucubrationibus.

— inter quas ausus habere

Nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches.

Ego verò inquit, fere legendum esse crediderim Alabarches, qui & Arabarches hic dicitur. Alabarches autem erat Alexandriæ magistratus, qui Iudæis præerat Alexandrinis. Fere enim vrbis dimidium a Iudæis, iam inde à conditore Alexandro possidebatur, vt à Philone cognosci potest, itaque per contemptum quoque Arabarches, vel Alabarches dici videtur, è Iudæorum dispicientia & despicatione, qui omnibus inuisi contemptique erant, Iosephus lib. 22. cap. 5. belli Iudaici, primi inter Alexandrinos Iudæos tam opibus quàm genere, & tum Alabarchiæ magistratum gerentis, ergo vel Alexander, vel Demetrius, iidemque Alabarchæ statuas inter triumphales habuerant, & Crispinus Ægyptius. Brodæus lib. 4. cap. 2. Quidam Arabarchen mollem & eneruem exponunt, aut Arabum Regem alii. salis præfectum Alabarchen, neutri recte: ego tamen magistratus apud Alexandrinos cuiusdam fuisse certo scio. hinc Cice. lib. 2. epist. 17. ad Att. Velim ex Theophane exspicere quonam animo sit in me Arabarches. Lubinus legit Alabarches, & explicat, quid sit Arabarches. Merula verò, Arbarchen inquit potius, quàm Ægyptium Crispinum appellar, quem non insulse Arabum principem dixit, lego apud Iosephum & Eusebium Cæsariensem Halabarchen dictum, salis præfectum, & fuisse honoris appellationem apud eos. hæc Gyraldus dialogismo 19. Ego verò fretus quamplurimis manuscriptis, censeo legendum Arabarches, non autem Alabarches. Cuiacius inuentioni fauet, & quasi fortissimum complectitur, ideo ex locis quibus sententiam suam probare nititur, deleuit verbum Arabarches & ex l. 9. Cod. de vectigal. & com. expunxit vocabulum Arabachiæ, vt insereret Alabarchiæ. Poëta loquitur de Crispino Ægyptio, quem Ægyptium, aut Arabarchem in contemptum dicit, & publicanum per Arabarchem potius intelligit quã magistratum. Nam Arabarches, vt ex constitutione illa 9. apparet præerat exigendo vectigali de pecuariis, quæ ex Arabia in Ægyptium deuehebantur. Ideo Arabarches neque fuit scriba, nec magistratus, nec salis præfectus, nec honoris appellatio. prætereа, Tyberius ille Alexander statuam non habuit in foro Augusti, nec Demetrius, vt somniarunt Alciatus & Turnebus, vti ille quem innuit Poëta Ægyptius, aut Arabarches, id est, vndecumque fuerit patria barbara, & ipse barbarus & ignotus.

MEIERE.] Mingere Calphurnius ecloga 2.

— ite procul, sacer est locus, ite profani
Extra meiite.

Summæ impietati tribuebant veteres in loco sacro vrinam facere. hinc Persius.

Pinge duos angues, pueri sacer est locus: extra
Meiite.

Porro eadem reuerentia, postea etiam simulachris statuisque principum, & nobilissimorum virorum est exhibita. Ironicos hic loquitur Iuuenalis.

VESTIBVLIS.] Vestibulum est locus vacuus ante ianuam domus; illic stantes defendebantur à sole & imbribus, vt ait Seruius in hunc Virgilij locum.

Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus.
Exultat telis.

CAVLES.] Scapum herbarum, & leguminum significat. Dicimus caulem fabæ, ciceris.

REX HORVM.] Qui debebat eis dare vnde cœnam emerent, Rex quia clientes habet.

TORIS.] Lecticulis, vel puluinis, quibus stratis olim vescebantur. Petronius.

LATIS ORBIBVS.] Patinas argenteas intelligit. patrimonia vendunt, vt emant dapes, quas comedunt vna mensa.

PARASITVS.] Sectator, adulator. Martialis,

Ante Iouis statuam crepuit satur histrio pœnam,
Iupiter indixit viuere de proprio.

QVANTA EST GVLA QVÆ SIBI TOTOS PONIT APROS.] Apud antiquos munificentia videbatur apparatio, si in conuiuio aper integer fuisset exhibitus.

TVRGIDVS.] Habens ventrem inflatum & tumidum.

CRVDVM PAVONEM IN BALNEA PORTAS.] Portas pauonem indigestum. est enim caro pauonis difficillimæ digestionis. hinc D. Augustinus de ciuitate Dei, lib. 21. cap. 4. Quis enim, inquit. nisi Deus creator omnium dedit carni pauonis mortui ne putresceret?

DVCITVR IRATIS PLAVDENDVM FVNVS AMICIS.] Dolentibus sibi nihil relictum esse, quod funus plausibus excipiendum est, quia gula perit.

IN PRÆCIPITI.] In abrupto cacumine ac summitate, adeo vt vlterius progredi non possit.

TOTOS PANDE SINVS.] Metaphora à nauigantibus. ingenij vires.

INGENIVM.] Est vis quædam naturâ animis insita suis viribus præualens.

PRIORVM] Lucilij & cœterorum.

SIMPLICITAS.] Libertas. simpliciter loquitur, qui aperte, & libere dicit,

DICTIS IGNOSCAT MVTIVS.] Mutius Scæuola. patientissimus, in quem olim Lucilius inuectus est, sed tunc nihil referebat, quia nulli erant imperatores, respublica erat libera.

PONE TIGILLINVM.] Nota hominem gratum imperatori, vt fuerat Tigillinus Neroni. de Ophonio Tigillino Tacitus lib. 14. Validior Tigellinus in animo principis ex intimis libidinibus assumptus.

TÆDA LVCEBIS IN ILLA.] Lucebis in tæda illa qua ardent stantes qui fumant fixo gutture. Tranquillus in Caligula, Attellanæ poëtam ob ambigui loci versiculum media amphitheatri arena cremauit, vel affixo ligno quod tædam appellauit, qui vti tæda arderent fixo gutture affixo palo. Vetus scholiastes. vel vt Suetonius ait, quia

noxiis gladij mucro mento ſupponebatur, Tacitus in vſum nocturni luminis vrerentur accenſi Chriſtiani pro lucernis tædiſque. Ad hanc crudelitatem alluſit poëta, quod ab eius interpretibus miror nuſquam animaduerſum eſſe.

ET LATVM MEDIA SVLCVM DEDVCIT ARENA.] Adductus cùm per arenam traheretur, ſulcum corpore fecit, vel foſſam in qua ſtipites fiebant, in quibus ardebant cum traheretur, corpore vt aratro fiebat ſulcus in arena. ſæuitia imperatoris hoc verſu deſcribitur.

QVI DEDIT ERGO TRIBVS PATRVIS ACCONITA.] Venena. Solinus ſcribit in Ponticis oris Aconem portum eſſe, qui prouentu malorum graminum vſque adeò celebris eſt, vt noxias herbas illinc aconita nominemus. Tigillinus tres patruos vt eorum hæreditatibus potiretur, veneno aſſumpſit. Tacitus.

VEHATVR PENSILLIBVS PLVMIS.] Lectica plumis ſtrata penſilibus in altum extructis. Probus. Horatius lib. 2. Saty. 2.

—tum penſilis vua ſecundas
Et nux ornabat menſas.

SECVRVS LICET ÆNEAM.] Securus de mortuis loqueris. Tutius eſt hiſtorias, au fabulas ſcribere, vt Virgilius & Homerus, quàm Satyras.

RVTILVMQVE.] Rutulium lege, vt in antiquis manuſcriptis. Turnum intelligit regem Rutulorum, de quo vide Virgilium.

NVLLI GRAVIS EST PERCVSSVS ACHILLES.] Achilles fortiſſimus Græcorum, filius Pelei regis & Thetidis percuſſus, reprehenſus, nulli grauis aut moleſtus eſt.

HYLAS.] Vt Strabo docet lib. 12. Hylas Herculis ad Colchos proficiſcentis comes, ex agro deſcendens aquatum profectus, à Nymphis in Mœſia raptus eſt. Vide Appollonium 1. Argon. Solinum, Eraſmum, & Vinetum in Auſonium, cuius commentaria maiore cura, & labore, quam ingenio ſcripta ſunt. in Bithinia quædam feſta celebrabantur, in quibus per montes vagi ac ſaltantes, Hylam vocabant. ideo multum quæſitus Hylas grauis. ſ. Virgilius,

—vt littus hyla, hyla omne ſonaret.

LVCILIVS.] Poëta Satyricus infremuit, reprehendendo exclamauit, inſonuit. Perſius Saty. 1.

—ſecuit Lucilius vrbem.

PRÆCORDIA.] Exta homni ab inferiore viſcerum parte ſeparantur membranis, quæ præcordia appellant: quia cordi prætenduntur.

DVELLI.] Belli. eques perpendat ante ſonitum tubæ, an pugnandum ſit. Metaphora, tarde pœnitet indixiſſe bellum, cum iam pugna commiſſa ſit. Duellum propriè eſt duorum bellum, animante tuba habet manuſcriptus collegij Catharinæ liber.

QVORVM FLAMINIA TEGITVR CINIS.] Viæ in quibus nobiles ſepeliebantur, quorum cinis, id eſt vrna in qua reliquiæ ſunt, tegitur.

SATYRA II.

In eos qui impudenter aliorum vitam censebant, cum ipsi vitiis intercutibus madent.

VLtra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt,
Indocti primùm: quanquam plena omnia gypso
Chrysippi inuenias. nam perfectissimus horum 5
Siquis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et iubet archetypos pluteum seruare Cleanthas.
FRONTIS nulla fides. qui enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? castigas turpia, cùm sis
Inter Socraticos notissima fossa cinædos. 10
Hispida membra quidem, & duræ per brachia setæ,
Promittunt atrocem animum: sed podice leui
Cæduntur tumidæ, medico ridente. mariscæ.
Rarus sermo illis, & magna libido tacendi,
Atque supercilio breuior coma. verius ergo 15
Et magis ingenuè Peribomius. hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, incessuque fatetur.
Horum simplicitas miserabilis, his furor ipse
Dat veniam: sed peiores, qui talia verbis
Herculis inuadunt, & de virtute locuti 20
Clunem agitant. ego te ceuentem, Sexte, verebor
Infamis Varillus ait. quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Graccos de seditione querenteis?
Quis cælum terris non misceat, & mare cælo, 25
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres,
Qualis erat tragico nuper pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges reuocarat amaras 30
Omnibus, atque ipsis Veneri, Martique timendas:
Cùm tot abortiuis fecundam Iulia vuluam

Solueret,& patruo simileis effunderet offas?
Nonne igitur iure,ac merito vitia vltima fictos
35 *Contemnunt Scauros,& castigata remordent?*
Non tulit ex illis toruum Laronia quendam
Clamantem toties. vbi nunc lex Iulia?dormis?
Ad quem subridens.felicia tempora : quæ te
Moribus opponunt.habeat iam Roma pudorem
40 *TERTIVS è cælo cecidit Cato.sed tamen vnde*
Hæc emis,hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi?ne pudeat dominum monstrare tabernæ.
Quòd si vexantur leges,ac iura,citari
Ante omnes debet Scantinia. respice primùm
45 *Et scrutare viros. faciunt hi plura:sed illos*
Defendit numerus,iunctæque vmbone phalanges.
Magna inter molleis concordia.non erit vllum
Exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Tædia non lambit Cluuiam,nec Flora Catullam.
50 *Hispo subit iuuenes,& morbo pallet vtroque.*
Nunquid nos agimus caussas,ciuilia iura
Nouimus,aut vllo strepitu fora vestra mouemus?
Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ.
Vos lanam trahitis,calathisque peracta refertis
55 *Vellera: vos tenui prægnantem stamine fusum*
Penelope melius, leuius torquetis Arachne,
Horrida quale facit residens in codice pellex.
Notum est,cur solo tabulas impleuerit Hister
Liberto,dederit viuus cur multa puellæ.
60 *Diues erit,magno quæ dormit tertia lecto.*
Tu nube,atque tace. donant arcana cylindros.
De nobis post hæc tristis sententia fertur
DAT veniam coruis,vexat censura columbras.
Fugerunt trepidi vera,ac manifesta canentem
65 *Stoicidæ.quid enim falsi Laronia? sed quid*
Non facient alij,cùm tu multitia sumas
Cretice,& hanc vestem populo mirante perores
In Proculas,& Pollineas?est mœcha Labulla.
Damnetur si vis,etiam Carphinia:talem
70 *Non sumet damnata togam. sed Iulius ardet,*
Æstuo.nudus agas:minus est insania turpis.

En habitum,

En habitum, quo te leges ac iura ferentem
Vulneribus crudis populus modo victor, & illud
Montanum, positis audiret vulgus, aratris.
Quid non proclames, in corpore iudicis ista
Si videas? quaero, an deceant multitia testem. 75
Acer, & indomitus, libertatisque magister
Cretice pelluces. DEDIT hanc contagio labem,
Et dabit in plureis: sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci, 80
Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
NEMO repente fuit turpissimus. accipient te
Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, & toto posuere monilia collo. 85
Atque bonam tenerae placant abdomine porcae,
Et magno cratêre Deam: sed more sinistro
Exagitata procul non intrat femina limen,
Solis ara Deae maribus patet. ite profanae,
Clamatur: nullo gemit hîc tibicina cornu. 90
Talia secretâ coluerunt Orgia tedâ
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto.
Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitque trementeis
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo, 95
Reticulumque comis auratum ingentibus implet.
Caerulea indutus scutulata, aut galbana rasa,
Et per Iunonem, domini iurante ministro.
Ille tenet speculum patici gestamen Othonis,
Actoris Arunci spolium: quo se ille videbat 100
Armatum, cùm iam tolli vexilla iuberet,
Res memoranda nouis annalibus, atque recenti
Historia, speculum ciuilis sarcina belli.
Nimirum summi ducis est occidere Galbam,
Et curare cutem summi constantia ciuis: 105
Bebriaci in campo spolium affectare Palatî,
Et pressum in faciem digitis extendere panem,
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Maesta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.
Heic nullus verbis pudor, aut reuerentia mensae. 110

Heic turpis Cybeles, & fracta voce loquendi
Libertas, & crine senex phanaticus albo
Sacrorum Antistes, rarum, ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendusque magister.
115 *Quid tamen exspectant: Phrygio quos tempus erat iam*
More superuacuam cultris abscindere carnem?
Quadringenta dedit Graccus sestertia, dotem
Cornicini: siue hic recto cantauerat ære.
Signatæ tabulæ: dictum feliciter. ingens
120 *Cena sedet: gremio iacuit noua nupta mariti.*
O proceres, censore opus est, an haruspice nobis?
Scilicet horreres, maioraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?
Segmenta, & longos habitus, & flamea sumit,
125 *Arcano qui sacra ferens nutantia loro*
Sudauit clypeis ancilibus. ô pater vrbis,
Vnde nefas tantum Latiis pastoribus? vnde
Hæc tetigit, Gradiue, tuos vrtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere, atque opibus vir,
130 *Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,*
Nec quæreris patri? vade ergo, & cede seueri
Iugeribus campi, quem negligis. officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ caussa officij? quid quæris? nubit amicus,
135 *Nec multos adhibet. liceat modò viuere: fient,*
Fient ista palàm, cupient & in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quòd nequeunt parere, & partu retinere maritos.
Sed melius, quòd nil animis in corpora iuris
140 *Natura indulget. steriles moriuntur, & illis*
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.
Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracci,
Lustrauitque fuga mediam gladiator arenam,
145 *Et Capitolinis generosior, & Marcellis,*
Et Catulis, Paullisque minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium spectantibus. his licet ipsum
Admoueas, cuius tunc munere retia misit,
Esse aliquos Maneis, & subterranea regna,

Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras. 150
Atque vna trnsire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lauantur.
Sed tu vera puta. Curius quid sentit, & ambo
Scipiadæ? quid Fabricius, Manesque Camilli?
Quid Cremeræ legio, & Cannis consumpta iuuentus, 155
Tot bellorum animæ, quoties hinc talis ad illos
Vmbra venit? cuperent lustrari, si qua darentur
Sulfura cum tedis, & si foret humida laurus.
Illuc, heu miseri traducimur. arma quid vltra
Littora Iuuernæ promouimus, & modo captas 160
Oreadas, ac minima contentos nocte Britannos?
Sed quæ nunc populi fiunt victoris in vrbe,
Non faciunt, illi, quos vicimus: & tamen vnus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse Tribuno. 165
Adspice quid faciant commercia: venerat obses.
Hic fiunt homines. nam si mora longior vrbem
Indulsit pueris, non vnquam deerit amator:
Mittentur braccæ, cultelli, frena, flagellum,
Sic prætextatos referunt Artaxata mores. 170

IN SATYRAM II.

VLTRA SAVROMATAS.] Sauromatæ superiorem Asiæ partẽ occupant, Mœotidem paludem circum habitant, ex Amasonum semine procreari. Plinius & Herodotus.

DE MAVRIBVS AVDENT.] Dicere scilicet.

QVI CVRIOS SIMVLANT.[Curio similes, qui vt Valerius Maximus inquit, exactissima norma Romanæ frugalitatis fuit. hinc Martial. lib. 7. ad Galbam.

> *Quare aliquem Curios semper Fabiosque loquentem,*
> *Hirsutum & dira rusticitate trucem*
> *Iuuenes.*

BACCHANALIA VIVVNT.] Sup. celebrantes: Liuius Decad. 4. lib. 9. Additæ voluptates religioni vini, & epularum, quo plurium animi allicerentur. Cum vinum animos, & nox, & mixti fœminis mares ætatis teneræ maioribus discrimen omne pudoris extinxissent, stupra promiscua, ingenuorum, fœminarumque erant, falsi testes, falsa signa, testimoniaque ex eadem officina exibant, occulebat vim quod præ vlulatibus tympanorumque, & cymbalorum strepitu, nulla vox quiritantium inter stupra, & cædes exaudiri poterat. hinc Plautus Aulularia ad Bacchas

inueni Baccanal coquinatum.

PLENA OMNIA GYPSO CHRYSIPPI.] Gypſum calcis albæ genus eſt, inquit Plinius lib. 36. cap. 24. ſenſus. ſunt indocti, tametſi inuenies omnia loca plena gypſo. i. ſtatua gypſacea Chryſippi Philoſophi. Chryſippus fuit doctiſſimus Philoſophus Stoicus.

SI QVIS ARISTOTELEM SIMILEM.] Ariſtotelis imaginem.

VEL PITTACON EMIT.] Pittaci ſtatuam. fuit hic ex ſeptem ſapientibus Græciæ.

ET IVBET ARCHETYPOS PLVTEVM SERVARE CLEANTHAS.] Iubebāt Pluteum, id eſt'armarium. Vetus ſcholiaſtes. Pithœus in Iuuenalē hunc ſcholiaſtem quem ipſe edidit, Barbarum appellat, quod vocabulo armarium, vſus ſit. Imprudens Pithœus Barbarum Iuuenalem dicit, qui eodem verbo vtitur Saty. 7.

Et vendas potius, commiſſa quod auctio vendit
Stantibus: Oenophorum, tripodes, armaria, ciſtas.

Plutei tabulæ ſunt, vt Feſtus ait, quibus aliquid præſepitur. Seruare Cleanteas, imaginem Cleantis Philoſophi laboris patientiſſimi. Archetypos. i. veteres & primum Typum, ſiue primam figuram bonorum pictorum habentes. ſolent enim pictores imperitiores doctiorum Archetypos cuſtodirē, ita illi cuſtodiebant Cleantas. accuſatiuus pluralis Attico more, vt Socratas. Cleantas. Cleantes Philoſophus laborioſiſſimus fuit, adeo ut inopia cogente, ſe mercenarium faceret, ac noctu quidem hauriret aquam in hortis, interdiu autem operam ſtudiis liberalibus daret. Diogenes Laërtius.

VICVS.] Locus in vrbe, vici fuerunt Romæ ſupra mille, & dicuntur à via, vt inquit Varro.

TRISTIBVS OBSCŒNIS.] Vitiis obſcœnis, quæ triſtitiam gignunt.

INTER SOCRATICOS NOTISSIMA FOSSA CINÆDOS.] Ariſtophanes in comœdia quæ Nephælæ inſcribitur, lacerat Socratem, & diſcipulos illius, cùm ſit & ipſe pejor aliis. ſocraticos, id eſt molles philoſophos, qui Socratem imitari videri volunt. notiſſima foſſa, id eſt notiſſimus paticus.

HISPIDA MEMBRA.] Habent hirſuta membra, vt videantur ſeueri.

PODICE LEVI.] Depilato. podex eſt poſterior pars corporis pudenda. leuis, ſine pilis propter frequentem ſubactionem.

MEDICO RIDENTE.] Nam inuenientes ſtupri veſtigia, medici rident.

MARICÆ.] Sunt ficus inſipidæ; pro vlcere ſumuntur hic. medici eas fungum vocant. Martialis.

Dicemus ficus quas ſcimus in arbore naſci,
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Nonius, Mariſcæ. Varro de re Ruſtica lib. 1. Vt nuces Græcē, ac Mariſcæ fici.

ATQVE SVPERCILIO BREVIOR COMA.] In Stoicos dicit, qui præ ſe ferebant magnam in vultu ſeueritatem, cùm tamen interea clam fœdis

libidinibus dediti essent: sensus quod alere comam delicatum putarent, & parum virile capillum raserant. Turnebus lib. 15. cap. 17.

PERIBOMIVS.] Nomen Archigalli Cinædi, quem Magulum conspurcatum dicimus, qui publicè impudicitiā perpessus est. sumitur etiam vt quidam autumant, pro eo qui ex simplicitate peccatum perhibet ac prodit. male Peribonius legunt alii.

FATIS.] Fatum est voluntas & iussio Dei. Vel vt Chrysippus scribit, est sempiterna quædam, & indeclinabilis rerum series.

VERBIS HERCVLIS INVADVNT.] Arguunt vitia grauibus & seueris verbis, vt Hercules qui arguebat Deam quæ promittebat voluptates. sequens eam quæ virtutem pollicebatur. Cic. lib. 1. Off.

CLVNEM AGITANT.] Mœchantur.

CEVENTEM.] Ceuere mariū est: Crissare mulierum, Sexte senator.

VARILLVS.] Varillus infamia notissimus, temporibus Poëtæ cum à Sexto Cinædo reprehenderetur, remordens dixit, ego ne ceuentem verebor, cum te non sim deterior. i. bonus improbum notet, non improbus improbum.

LORIPEDEM.] Oblique incedentem, solutum pedibus, ac curuis significat.

QVIS TVLERIT GRACCHOS.] Grachus Affricani ex filia nepos, Tribunus plebis cum sibi potestatem prorogare vellet, aduersis auspiciis in publicum prodiit, statimque Capitolium petiit, vbi oppressus à Scipione Nasica, & eius cadauer in Tyberim missum; Caius item Gracchus cum accersitus in Senatum non iuisset, armata familia Auentinum occupauit, vnde fugiens, vel propria, vel serui manu interfectus est. Liuius.

VERRI.] Qui in Sicilia libidinose & auare versatus repetundarum à Siculis postulatus est.

CLAVDIVS ACCVSAT MOECHOS.] Adulter accuset adulteros.

CATILINA CETHEGVM.] Catilina qui coniurauerat in Rempublicam, accuset Cethegum coniurationis socium.

DISCIPVLI TRES.] Imitatores Syllæ, id est, triumuiri Lepidus, Antonius & Augustus. Dicant scilicet contra Tabulam Syllæ, in qua plurima millia hominum proscripta erant. ij Syllam imitati, Senatum, & equestrem ordinem proscripsere. Appianus.

QVALIS ERAT TRAGICO.] Tales erant improbi turpia castigantes, qualis erat Domitianus, qui Iuliam fratris filiam alteri nuptam corrupit reuocata lege Iulia. hinc Sueton. in Domit. fratris filiam adhuc virginem oblatam in matrimonium sibi cum deuinctus Domitiæ nuptiis pertinacissime recusasset, non multo post alii collocatā vltro corrupit, & quidem viuo etiam tum Tito, mox patre ac viro orbatam ardentissime palam dilexit, vt etiam causa mortis extiterit coactæ conceptum à se abigere.

Vel qualis erat Claudius, qui leges in adulteros reuocauerat, & tamen adulter & mœchus erat: occisa Messalina vxore impudentissima, Iuliam

Aggrippinam fratris filiam reuocatam ab insula in matrimonium accepit, concesso eodem iure nuptiarum ex Senatusconsulto. Tacitus Annalium lib. 12. Adrianus, Iunius, Pulmanus, Lubinus, Valla, Probus, & plerique alij interpretes de Caligula poëtam loqui autumāt. Verum cum dicat Iuuenalis nuper hoc actum esse, quin de Domitiano loquatur nemo dubitare potest. nam vt testatur Suidas, Iuuenalis vixit tempore Domitiani, Claudius vero diu ante Domitianum imperauit.

VENERI MARTIQVE TIMENDAS.] Mars autem adulter cum Venere à Vulcano deprehensus est, atque adamantinis vinculis circumuenti, diis omnibus spectaculum fuere. Homerus 8. Odyss. Propert.

Ipsa Venus quamuis corrupta libidine Martis
Nec minus in cœlo semper honesta fuit.

Ouidius.

Mulciberis capti Marsque, Venusque dolis.

PATRVO.] Domitiano. offas, fœtus immaturos pro partu posuit. i. filios similes patruo.

SCAVROS.] Salustius in Iugurtino, sed ex omnibus maximè. Æmilius Scaurus homo nobilis, impiger, factiosus auidus potentiæ, honoris, diuitiarum, cœterum callide vitia sua occultans. castigata, id est reprehensa ab hypocritis. hypocritas acriter tangit.

LARONIA.] Quænam fuerit, Martialis lib. 2. in Ponticum, ita scribens ostendit.

Abnegat & retinet nostrum Laronia seruum,
Respondes orba est, diues, anus, vidua.

Alij codices habēt Lauronia, & Latronia, & male, vt ex Martiale apparet.

VBI NVNC LEX IVLIA? DORMIS?] Iulij Cæsaris de damnandis adulteriis, de qua vide Iustinianum in titulo ad legem Iuliam de adulteriis, Cod. & Martia. lib. 6. de Thelesina.

Iulia lex populis ex quo, Faustine renata est,
Atque intrare domos iussa pudicitia est.

TERTIVS È CÆLO CECIDIT CATO] Multi fuerunt Catones, è quibus duo nobilissimi, prior censor, posterior nepos ipsius, qui à loco in quo periit, Vticensis dictus est, iste tertius videtur è cælo cecidisse.

OPOBALSAMA.] Opobalsamum succus balsami, è plaga manat eximiæ suauitatis & odoris. Martia.

Lassa quod externi spirant opobalsama Drauci.

Balsamum propriam eam arborem Iudeæ esse plerique traddierunt, nec alibi gigni. Iust. lib. 36. opes genti ex vectigalibus opobalsami creuere, quod in his tantum regionibus gignitur.

DOMINVM TABERNÆ.] Pharmacopolam.

QVOD SI VEXANTVR LEGES AC IVRA.] Excitantur si negotium legibus est exhibendum. & si auocandæ sint contra vitia, vexari videntur. Lex iuris species. Ius generale nomen est, vt inquiunt Iurisconsf.

SCANTINIA.] Supple lex quæ lata est in pædicones, id est masculorum

ſtupratores. Tranquillus. dicta autem eſt à Caio Scantinio, qui, vt ſcribit Valerius lib. 6. filio Marcelli vim itulit, & patre accuſante damnatus eſt.

SED ILLOS DEFENDIT NVMERVS.] Tacitus lib. 1. Annalium, Illi quoties oculos ad multitudinem retulerant, truculentis vocibus ſtrepere. & Lucanus.

—quippe ipſa metus exſoluerat audax.
Turba ſuos, quidquid multis peccatur inultum eſt.

IVNCTÆQVE VMBONE PHALANGES.] Vmbone, clypeo, ſcuto, phalanges, acies. Phalanx enim lingua Macedonum peditum ſtabile agmen dicitur, Curtius.

TÆDIA NON LAMBIT CLVVIAM, NEC FLORA CATVLLAM.] Nomina meretricum. Fellatorem notat, qui & lambere, & lingere alterum dicitur.

HISPO SVBIT IVVENES.] Cinædi nomen, cuius meminit Plinius lib. 4. Epiſtol. Vir ille grauis corrumpitur à iuuenibus, & patitur, & lambit, & hoc eſt quod ſignificat his verbis, morbo pallet vtroque, id eſt vtraque turpitudine cum fellaret, & pædicaretur.

COMEDVNT COLIPHIA PAVCÆ:] Panis quo vtebantur athletæ. Budæus cibum luctatorum vocat. Coliphia panem in ſimilitudinem virilis membri Iunius putat. Sed hallucinatur. Plautus in Perſa, coliphia mihi ne incocta detis. & Mart. in Philænim lib. 6.

Ad quos fas ſibi tum putat reuerti,
Cum colyphia ſexdecim comedit.

CALATHIS.] Vaſculis ex viminibus contextis Virgilius,

— non illa colo, calathiſve Mineruæ.
Fœmineas aſſueta manus.

PRÆGNANTEM STAMINE FVSVM] Inſtrumentum nendi denſum filo, ex quo fit ſtamen.

PENELOPE.] Vlyſſis vxor, abſente viro procos tela decipiebat, pollicebatur abſoluta tela eis obſequuturam, noctu retexebat, Homerus & Claud.

Penelope trahat arte procos, fal atque furentes,
Stamine nocturnæ retegens ſolertia telæ.

LEVIVS TORQVETIS ARACHNE.] Puella illa Lydia, quæ Palladem auſa eſt ad certamen, arte texendi prouocare, à qua victa verſa eſt in vermem quem araneum dicimus, qui facili, leui, & incredibili artificio texit.

IN CODICE PELLEX.] Meretrix ſedens in trunco ante fores horrida & inculta ne habeatur vxor. intelligit ancillam caſillariam, vt ait Ioſephus Scaliger. Significat, inquit Turnebus, à matrefamilias ſeruam pellicem male tractari, & in vinculis habitam lanificio perpetuo fatigari, ſed noſtra interpretatio conuenientiſſima eſt Satyrico.

HISTER.] Cinœdi nomen, qui tabulas teſtamenti impleuit liberto ſolo, cui omne patrimonium dedit ob turpitudinem ab eo ſibi præſtitam.

DONANT ARCANA CYLINDROS.] Lapides pretiosos, teretes & oblongos. Plinius lib. 37. cap. 6 dat quia tacet. cylindri sunt etiam lapides rotundi ad æquandas areas idonei, vt ex Virgilio probatur, qui in Georgicis ait.

Area cum primum facili est æquanda cylindro.

DAT VENIAM CORVIS, VEXAT CENSVRA COLVMBAS.] i. castigatio morum ignoscit viris impuris: vexat columbas, hoc est mulieres, quas vocat Columbas propter simplicitatem, prouerbium est coruorum de impudicis, discreuit sexum per aues, vnde dicunt coire coruos per os, & sic parere. Mart.

Corue salutator, quare fellator haberis.

STOICIDÆ.] Ficti illi philosophi, qui Stoicorum more omnia vitia reprehendunt, nemini parcentes.

CVM TV MVLTITIA SVMAS.] Vestes molli intextas subtamine, quibus vtebantur qui de pulcritudine membrorum gloriabantur; nam tenuissimæ, & pellucidæ erant, adeo vt singula membra perspici possent, & vt Budæus ait, multitia sunt vestes sericæ tenuissimæ æstiuæ. Mart. lib. 8. ad Entellum.

Fœmineum lucet sic per bombycina corpus
Calculus in nitida, sic numeratur aqua.

Et Flauius Vopiscus in Aureliano, Dabis ad editionem Circensium tunicas multitias viriles decem, lineas Ægyptias viginti.

CRETICE.] à Creta, in qua fuerunt seuerissimi iudices vt Minos, & Radamanthus: sensus, Tu qui vt Radamanthus & Minos promulgas leges, multitia fers.

IN PROCVLAS, ET POLLINEAS.] Nomina meretricum.

EST MOECHA LABVLLA.] Filia Clinici medici.

DAMNETVR SI VIS CARPHINIA.] Turpior illa mœcha non sumet tam infamem togam. de matrona aliqua stupri damnata loqui videtur. apud Athenienses scorta veste à matronis discreta erant.

SED IVLIVS ARDET.] Sol in mense Iulio ardet, æstuo, calore afficior.

MINVS EST INSANIA TVRPIS.] Supple quam mollities, mollities turpior est infamia.

VVLNERIBVS CRVDIS.] Recentibus.

MONTANVM VVLGVS.] Rudis populus. in vrbem plebs ipsa confluebat, quoties leges promulgabantur.

PELLVCES.] Transluces, vel valde luces: nam lineamenta corporis apparent, pellucebant enim tenerrima subtilitate, vt Ammianus dicit. ideoque quoties pellucidam vestem, & pellucentem togam legis, capito de serica. Mart. lib. 12. in Candidum.

Crine nitens niger vnguento pellucidus ostro.

DEDIT HANC CONTAGIO LABEM.] Alter alterum in vitia trudimus, inquit Seneca epist. 7. Contagio à contingo dicitur, quia polluit quod tangit.

PORRIGINE PORCI.] Porrigo est vbi squamæ surgunt, ac resoluuntur, nascuntur inter pilos.

VVAQVE CONSPECTA LIVOREM DVCIT AB VVA.] Hoc & prouerbio circumfertur, nam vua vuam videndo varia fit, vbi vuam videt vua maturescentem, & liuidam: eundem colorem velut quadam inuidia ab ea trahit. Turnebus lib.5.cap.17. amictu, vestitu.

REDIMICVLA.] Ornamenta capitis mulierum quibus ligabantur mitræ, Virgilius.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

In sacerdotes Mineruæ inuehitur Poëta, quos in Albano Domitianus instituerat. monilia ornamenta muliebris colli.

BONAM DEAM.] Quam alij Proserpinam credunt, placant abdomine teneræ porcæ; quia segetem quam Ceres mortalibus tribuit porca depasta est. Macr.

SED MORE SINISTRO.] Contrario ritu, quia viris non licebat intrare, sed mulieribus. Martialis lib.3. in Bethicum.

Sacra tamen Cybeles decipis ore, vires.

Vt Tibul.

Exibit quam sæpe, time seu visere dicet.
Sacra bonæ maribus non adeunda Deæ.

ITE PROFANAE.] Impiæ, sceleratæ. Nam cum sacra à mulieribus celebrentur, soli molles celebrant, & mulieres excludunt.

TALIA SECRETA COLVERVNT ORGIA TAEDA.] Orgia Bacchanalia, qualia effœminati sacerdotes colebant in Albano, Origa apud Græcos teste Seruio dicta fuerunt quæuis sacra, deinde propria Liberi patris esse cœperunt, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, hoc est à furore, quod hæc sacra à mulieribus furore correptis celebrantur. Virgil. lib.4. Æneid.

— totamque incensa per vrbem,
Bacchatur qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant Trietherica Baccho
Orgia.

CECROPIAM SOLITI BAPTAE LASSARE COTYTTO.] Athenis erant Sacerdotes Cotyttus, Impudicitiæ deæ, cui nocturna sacra peragebant saltationibus, & omni voluptatum generi indulgentes, in hos Eupolis comœdiam conscripsit quam ab illorum nomine Baptas appellauit. Vide Suidam & Adrianum Iunium Adagiorum centur.1. & Polytianum Miscellaneo. cap.10. Athenienses, inquit, ea tempestate sacra quædam religionesque peregrinas, nouosque deos asciuerant, quibus nocturnæ peruigilationes essent institutæ, magnorum dehinc flagitioru͂ causa, sicuti Romæ Bacchanalia, sed inter sacra cætera fuere, quæ dicerentur Cotitia. Contra hæc nocturna Cotitia Eupolim scripsisse Baptas putamus. Probus vero apud Vallam ait Eupolim ab Alcibiade quem præcipuè perstrixerat necatum esse, Domitius verò Calderinus putauit Baptas esse Ceteris sacerdotes, & Cocyton Cererem, sed hallucinatur vir alioqui doctus. Nihil, inquit Poëta, distant sacerdotes Albani, vel à mulieribus colentibus bonam deam, vel ab his qui celebrabant Cotycia

Cecropiam, Atticam à patria, in qua regnauit Cecrops. Iunius.

MADIDA FVLIGINE PINGIT OCVLOS.] Vrcinus adeps raritatem superciliorum emendat, mixtus cum fungis lucernarum ac fuligine, quæ est in rostris earum. Plinius lib. 38. cap. 8. Pingit Ouidius in arte amandi.

Nec pudor est oculos tenui signasse fauilla.

Et diuus Hieronymus ad matrem stibio oculos linit.

VITREO BIBIT ILLE PRIAPO.] Vitreo pene, quem appellant Drillopotæ, quia delectabatur membro virili vt mulier impudica, Plinius in prooemio libri 33. in poculis libidines cælare iussit, ac per obscœnitates bibere.

RETICVLVM.] Tegmen capitis, authore Nonio. Lampridius in Alexandro Seuero, matronas regias contentas esse debere vno retinaculo, atque inauribus, & Bacchato monili.

COERVLEA INDVTVS SCVTVLATA.] Vestimenta orbiculos quosdam habentia ad similitudinem scutularum, id est rotundarum formarum. Plinius lib. 8. cap 48. ego scutulatum esse sentio quod scutulas habet, quales in araneorum reti plurimæ sunt. Nam cum in ambitum orbes filis aranei multis plurimos circumeunt à centro transuersa subtemina quoquo versum distendunt, quæ orbes secantia multas scutulas reddunt.

COERVLEA.] Viridia, æquorea.

AVT GALBANA RASA.] Authore Plinio cap. 45. lib. 8. genera sunt vestium delicatorum, dicta à galbaneo colore, qui est sublucidus, viridis, subalbus, & pallidus, vt ait Lipsius in omni scientiarum genere vir eminentissimus, electorum lib. 1. Galbanus herbacei coloris est, & cærulei. Martialis lib 1. ad Scasontem,

Natiua laudat, habeat & licet semper,
Fuscos colores, galbanos habet mores.

Galbus est viridis, pallidus, & flauus. hinc galbanus color, quem dedecebat viros, teste Martiale. hinc galbini mores effœminatorum, Turneb. lib. 17. cap. 8. Vestes illæ muliebres erant.

ET PER IVNONEM DOMINI IVRANTE MAGISTRO.] Ita serui iurãt, quo modo solebant ancillę Neronis adulantes, per Iunonem tuam. De viro molli dicit, qui mulier haberi posset, sed & mulieres iurabant, vt ait Petronius, Iunonem suam. Turnebus lib. 3. cap. 20.

ILLE TENET SPECVLVM PATICI GESTAMEN OTHONIS.] Occiso Galba Imperatore, Otho inuasit imperium, qui tam probrosæ curæ in polienda forma fuit, vt madido pane faciem liniret, vtebaturque speculo vt fœmina. hinc Sueton. in Othone, Quin faciem quotidie rasitare, ac pane madido linire consuetum, idque instituisse à prima lanugine, ne barbatus vnquam esset, speculum spolium magnanimi vocat ironicè. patici, soliti pati muliebria.

ACTORIS ARVNCI SPOLIVM.] Hic autem gloriabatur gestans speculum Othonis, vt Turnus hastam actoris Arunci. Virgil. Æneid. lib. 12.

— quæ in mediis ingenti annixa columnæ
Ædibus astabat validam vi corripit hastam
Actoris Arunci spolium.

Ironicè Actor, non speculum, sed hastam ferebat.

ANNALIBVS.] Annales singulorum annorum actus continent, inquit Gellius lib. 5. cap. 18. & Tacitus, lib. 13. Nerone 2. Lucio Pisone Coss. pauca memoria digna euenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis & trabibus volumina implere: cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, Talia diurnis vrbis actis mandare. & alibi, Ni destinatum mihi foret suum quæque in annum referre.

SVMMI DVCIS EST OCCIDERE GALBAM.] Galba Imperator 7. Neroni successit, quem Otho occidi iussit: milites Othonis Galbam à suis desertum contrucidarunt, vt ait Suetonius in Galba hinc Eusebius in Chronicis. Galba 7. mense imperij sui, in medio Romanæ vrbis foro, capite truncatur, Otho 3. regni sui mense, apud Bebriacum propria manu occubuit. Vitellius verò 8. imperij sui mense à Vespasiani ducibus occisus in Tiberim proiicitur. historia horum imperatorum est plena tenebrarum, vt inquit doctissimus & piissimus Arnaldus Pontacus Episcopus Bazatensis in Annotationibus suis in Eusebij Chronicon, ideo suadet non esse discedendum à mente Euseb.

BEBRIACI IN CAMPO.] Huius vici verum nomen ignoramus, quidam Bedriacum, alij Bebriacum, alij Betriacum scribunt, alij Metriacū, Turnebus Betriacum, Casaubonus Berricum, Lipsius Bedriacum, sed de vico Bebriaco, siue Bedriaco dicam quod Liuius de Furiis dicit. Furios, fusios scripsere quidam, id admoneo, neque immutationem virorum ipsorum esse, quæ nominum est, putet Liuius decadis 1. lib. 3. Tacitus lib. 2. histo. vbi pulsum Cæcinnam Cremonam pergere accepit ægre coërcitum legionem, & pugnādi ardore vsque ad seditionem progressam Bedriaci sistit. inter Veronam Cremonamque situs est vicus ille duabus iam Romanis cladibus notus, infaustusque Vitel. Othon. vicit apud Vicum illum. Palati pro palatij.

SEMIRAMIS.] Nini Regis Assyriorum vxor, magni animi, maxima bellatrix, multos populos vicit, de qua vide plura apud Iustinum. hinc Eusebius, Assyriis imperauit vxor Nini Semiramis, de qua innumerabilia narrantur, quæ & Asiam tenuit, & propter inundationem aggeres construxit plurima Babyloniæ instaurans.

NEC ACTIACA FECIT CLEOPATRA CARINA.] Cleopatra Regina Ægypti M. Antonij Triumuiri amica, mœsta propter amissam victoriā fecit in Actiaca carina, id est, qua in Actiaco mari, vbi ab Augusto victa est, vrebatur. Sueton. in Augusto, & Tacitus libro primo Annalium. D. August. vultu & aspectu Actiacas legiones exruit. Hinc D. Hieron. in Chronicis, cum ingenti triumphorum pompa August. Romam ingressus, & Cleopatræ liberi Sol & Luna ante currum eius ducti. Actium est Epiri oppidum. Plutarchus in Antonio.

TVRPIS CYBELES.] Turpium sacrorum libertas. eo enim die quo

lauabantur in Almone fluuio ludi fiebant Romæ, & ante lecticam Deæ fœdissima, audiente frequentissima multitudine vtriusque sexus, canebantur, vt ait Diodorus Siculus, lib. 4. & Ouidius fastorum libro 4. hinc Claudianus.

Vecta Palatinis mutasti collibus Idam
Prælatoque lauas Phrygios Almone Leones.

SENEX PHANATICVS.] Diuino afflatus numine, & qui futura canit, dicitur, & phani custos ironicè loquitur, & irridet sacra illa fœdissima, antistites, principes sacrorum & ceremoniarũ præsides, vt ait Tullius pro Domo sua. ad Albanos sacerdotes redit Iuuenalis.

CONDVCENDVSQVE MAGISTER.] Nam ex eo Collegio sorte ducti magisterio fungebantur. ironia. dignus est inquit, qui magisterio inter hos fungatur, & pretio etiam optandus est, si forte ductus non fuerit, exemplum magni gutturis dicit in luxum mensæ Albanæ. nam ibi lautissimè epulabantur.

PHRYGIO MORE.] More Gallorum sacerdotum, qui testa Samia solebant sibi amputare virilia, auctore Plinio. Phanatici, Cybeles ministri, & sacerdotes appellati, Galli impudicitiæ turpitudine infames erant. De quibus Claudianus in Eutropium Eunuchum.

Cymbala ferre licet pectus illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abscindere cultris.

QVADRINGENTA DEDIT GRACCHVS SESTERTIA DOTEM CORNICINI.] Gracchus. i. diues & nobilis vt Gracchus, dedit censum equestrẽ pro dote cantanti tuba, vel Neronem Gracchum vocat. erat inquit Tubicen, aut certe Cornicen.

SIGNATÆ TABVLÆ.] Contractus matrimonij subscriptus. hinc Tacit. Ruperatque tabulas nuptiales.

DICTVM FOELICITER.] Fœlices nuptias precati sunt. nam faustæ acclamationes adhibebantur. Turnebus lib. 15. cap. 17. Plautus, Quæ res recte vortat, mihique tibique tuæque filiæ, filiam tuam mihi vxorem posco, promitte hoc fore.

O PROCERES CENSORE OPVS EST, AN ARVSPICE NOBIS.] O optimates, censore opus est, qui emendet & corrigat, Aruspice, qui expiet, & futura vaticinetur, cum portenta naturæ sint.

SEGMENTA.] Seruius in librum primum Æneidos, monile segmẽtum appellat. segmenta muliebria sunt ornamenta, quo verbo vsus est Valerius Maximus, Datum inquit est mulieribus, vt segmenta aurea gestarent.

FLAMEA.] Rubra tegmina, quibus noua nupta vtebatur. Martialis lib. 11. ad Victorem.

Flamea texuntur sponsæ, iam virgo parata est.

Idem lib. 12.

Barbatus rigido nupsit Callistratus Aphro,
Hac quâ lege viro, nubere virgo solet
Prauxere faces, velarunt flamea vultus.

Flameo amictus nubens ominis boni causa, quod eo assidue vtebatur flaminica, id est, flaminis vxor, cui non licebat facere diuortium, Festus.

Loro.] Retinaculo, arcano, quia est intrinsecus. Marti. lib. 6. de Hianthide, & Stella.

Dixi, & arcano percussit pectora loro,
Plaga iuuat.

Clypeis ancilibvs.] Scutis rotundis & circuncisis. Nonius. Ancyle scutum grande etiam nunc arma & ancyle appellatur. Virgilius lib. 6.

— laeuâque ancyle gerebat.

Cum pestilens annus Italiam occupasset, scutum æneum in Numæ manus delapsum est, ad cuius similitudinem effictà sunt alia à Mamurio fabro tanta arte, vt primum non agnoscerent, eã circumferebantur mense Martio à duodecim Saliis. Salij Martis sacerdotes soli ancyle è cælo delapsum ferebant, & petractabant. vt inquit Seruius.

O pater vrbis.] O Romule, Latiis pastoribus, Romanis Imperatoribus, vel Romanis qui à pastoribus originem traxerunt.

Gradive.] Romule. Romulus filius Martis. Mars Gradiuus appellatus est, inquit Festus, à gradiendo in bella vltro citroque, vel vt alij dicũt, à vibratione hastæ; vel vt alij, quia gramine sit ortus, quod interpretatur quia coronea graminea in re militari maximæ est honorationis. Vrtica, metaphora. vrtica, prurigo.

Qvassas.] Concutis, cuspide hasta, non pulsas terram, id est bello non vexas.

Nec qverеris patri.] Nec quereris, ô Mars apud Iouem patrem de luxuria & mollitie Romanorum.

Cede severi ivgeribvs campi.] Recede à campo Martio, quem tenes vbi iura dicebantur. Ideo addit seueri, ex Probo Vallæ, ac dubito inquit Pulmanus, ne ipsius potius sint quàm Probi, cui adstipulor.

In valle qvirini.] In porticu Romuli. Martialis,

Vicinam pete porticum Quirini.

Qvæ cavsa officii.] Officium solebant vsurpare cum ad nuptias officii causa veniebant.

In acta referri.] Annalibus contineri.

Qvod nihil animis in corpora ivris natvra indvlget.] Natura nihil iuris concedit in corpora: cupiunt enim concipere vt mulieres, sed repugnat naturâ. Martialis lib. 12. de Calistrato & Aphro.

Barbatus rigido nupsit Calistratus Aphro,
Hac quâ lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces, velarunt flamea vultus,
Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.
Dos etiam dicta est, nondum tibi Roma videtur,
Hoc satis expectas, numquid & vt pariat.

Et illis tvrgida non prodest condita pyxide Lyde.] Aranea quæ olim Lyda fuit turgidas faciens mulieres, condita in vasculo ex buxo facto non prodest illis, Iunius ex manuscripto, Ferunt inquit, Physici quod mulier sterilis possit concipere si pixide inclusa araneam gestet in sinu. Lyda autem fuit Arachne, Plin. lib. 11. alij legunt in corpore, & malè Polytianus miscell. cap. 46. vt anum intelligas illiusmodi medicamenta venditantem, crassam & doliorem. de Lyde capella, de vnguentaria intelligo, inquit Turnebus, quæ medicamina promittebat curantia sterilitatem, qualia à Medicis referuntur. Lydiæ autem mulieres turgidæ erant. Papinius lib. 1 Sylu.

Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes.

Non prodest agili palmas præbere lvperco.] Luperco. i. mense Februario, Varro & Censorinus. Luperci sacerdotes per vrbem discurrebant, hircinaque pelle mulierum palmas percuriebant, vt concipere possent faciliùs. Iustinus in Trog. & Festus. hinc Ouidius,

Nupta quid expectas? non tu pallentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ,
Iam socer optatum nomen habebit aui.

Tvnicati fvscina Gracchi] Fuscina tridens, quo lanistæ vtebantur in ludis gladiatoriis. Gracchus pro nobili ponitur. Sueton. in Caligula. Retiarij tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine vllo totidem sequutoribus succubuerant, cum occidi iuberentur, vnus resumpta fuscina omnes victores interemit.

Capitolinis generosior et Marcellis.] Manlius ob Capitoliũ defensum Capitolinus dictus est. M. Marcellus vir Romanus Gallorum ducem singulari prælio vicit.

Et Catvlis Pavlisqve minoribvs et Fabiis.] Q. Catulus 1. Punico bello nauibus aduersum Pœnos profectus, 600. eorum naues inter Siciliam & Affricam deprenssit, Paulisque minorib. i. nepotib. posteris. Fabij fuerunt nobilissimi, quorum trescenti sex duce Fabio contra Veientes pugnarunt, & sæpe victores extitere, insidiis tamen ad vnum occisi sunt.

Ad podivm spectantibvs.] Podium locus erat vnde principes & nobilissimi spectare solebant. Prudentius.

An quoniam Podij meliore in parte sedentes
Spectant.

Cvivs mvnere.] Id est gladiatorio.

Esse aliqvos manes.] Deos inferos Contum, quo nautæ innituntur.

Non putant inquit Iuuenalis esse vllos inferos hodie, nisi qui perpusilli pueri sunt: tu tamen inferos esse putato, & illic manes Curij & Fabricij iuuentutisque Canensis. Turneb. lib. 15. cap. 17.

Stygio.] Styx infernalis palus, Cymba, nauicula, ære lauantur, id est

pretio vt infantes, qui non dant Balneaticum. i. non credunt esse inferos, nisi pusilli pueri.

CREMERÆ LEGIO.] Cremera fluuius est Thusciæ, apud quem trecenti & sex Fabii à Veientibus cæsi sunt, vno impubere domi relicto, vt ait Liuius.

ET CANNIS CONSVMPTA IVVENTVS.] multitudo iuuenum Romanorum occisa apud Cannas Appuliæ vicum, vt scribit Liuius, quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites, & tanta prope ciuium sociorumque pars cæsi dicuntur.

LVSTRARI.] expiati, & purgari. humida laurus, aqua perfusa & madens ad aspergendum & purgandum. Turneb. lib. 23. cap. 21. aspergillum ex lauro fiebat.

LITTORA IVVERNÆ.] Iuuerna insula Brittanniæ sita in Oceano mari, à qua non longe sunt triginta aliæ Orcades insulæ, quas Mela describit, Orcades, vt Solinus ait, sunt septem dierum totidemque noctium cursus numero tres, nō habent syluas, tantum iunceis herbis inhorrescunt; cætera earum nudæ arenæ & rupes tenent. ab Orcadibus Tylem vsque quinque dierum & totidem noctium nauigatio est. modo captas Orcadas dicit Poëta, quia Claudius imperator de Brittannis triumphauit, & imperio Romano adiecit, vt ait D. Hieronim. in Chronicis Eusebij.

AC MINIMA CONTENTOS NOCTE BRITANNOS.] Quia quo magis insulæ vergunt ad Polum, eo lōgiores certis anni temporibus sunt dies, & breuiores noctes. hinc Tacitus in vita Agricolæ: Dierum spatia vltra nostri orbis mensuram, & nox clara & extrema parte Britanni breuis, vt finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas; quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem; nec occidere & exsurgere, sed transire affirmant, scilicet extrema & plana terrarum humili vmbrâ non erigunt tenebras, infraque cœlum & sydera nox cadit.

Circa solstitium in Britannia prope nox nulla est, hac scilicet causa, quia vicinus occasus & ortus ibidem solis. ex obliquo enim terræ margine lux redundat, & proximam sibi insulam & noctibus & diebus illustrem reddit, vt ait Probus. Verum experientia id falsum apparet.

ARMENIVS ZALATES CVNCTIS NARRATVR EPHOEBIS MOLLIOR.] Armeniam Cęsar Augustus vendicauit, vt Suetonius docet. Zalates obsidis nomen proprium est. Ephœbi dicuntur adolescentes pubescentes. Zalates obses Armenius contagione morum corruptus, turpe obsequium Tribuno præstitit.

FIVNT HOMINES.] Quia Romæ patiuntur virilia. ironice, egregij, vel molles vt mulieres.

MITTENTVR BRACCHÆ.] Mittentur vestimēta, quibus vtuntur in patria. Diodorus Siculus lib. 6. de Galathis, scribens, ait vestes ad terrorem intonsas, ac coloris varij ferre, quas illi vocant bracchas, Persius Satyra 3. Bracchatos Medos appellat.

Illud tibi inexpertum est curuos deprehendere mores,
Quæque docet sapiens bracchatis illita Medis
Porticus.

Lampridius in Alexandro Seuero, donauit & Ocreas, & bracchas, & calceamenta inter vestimenta militaria. Alexander scilicet.

SIC PRÆTEXTATOS REFERVNT ARTAXATA MORES.] Id est mores quos filii Senatorum intra vrbem præ se ferunt, obsides redeuntes Artaxata, id est, ad suos reportant. Artaxata ciuitas Armeniæ. Strabo. Tacitus Annalium libro 13, ait hanc vrbem captam fuisse à Nerone.

SATYRA III.

Ostendit in vrbe, bonis viris locum non esse.

QVamuis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen vacuis quòd sedem figere Cumis
Destinet, atque vnum ciuem donare Sibyllæ.
Ianua Baiarum est, & gratum littus amœni
5 *Secessus, ego vel Prochytam præpono Suburæ.*
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, vt non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum aßiduos, ac mille pericula sæuæ
Vrbis, & Augusto recitanteis mense poëtas?
10 *Sed dum tota domus rheda componitur vna,*
Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam:
Heic, vbi nocturnæ Numa constituebat amicæ.
Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis: quorum cophinus, fenumque supellex.
15 *Omnis enim populo mercedem pendere iussa est*
Arbor, & eiectis mendicat sylua Camœnis.
In vallem Egeriæ descendimus, & speluncas
Dißimileis veris. quantò præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine clauderet vndas
20 *Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?*
Heic tunc Vmbricius, quando artibus, inquit, honestis
Nullus in vrbe locus, nullà emolumenta laborum,
Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc

Ire,

Ire,fatigias vbi Dædalus exuit alas: 25
Dum noua canicies,dum prima,& recta senectus,
Dum superest Lachesi quod torqueat,& pedibus me
Porto meis,nullo dextram subeunte bacillo.
Cedamus patria:viuant Arturius istic
Et Catulus:maneant qui nigrum in candida vertunt, 30
Queis facile est ædem conducere.flumina,portus,
Siccandam eluuiem,portandum ad busta cadauer,
Et præbere caput dominæ venale sub hasta.
Quondam hi cornicines,& municipalis arenæ
Perpetui comites,notæque per oppida buccæ 35
Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter:inde reuersi
Conducunt foricas. & cur non omnia:cùm sint,
Qualeis ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit,quoties volutt Fortuna iocari? 40
Quid Romæ faciam? mentiri nescio: librum
Si malus est,nequeo laudare,& poscere: motus
Astrorum ignoro:funus promittere patris
Nec volo,nec possum: ranarum viscera numquam
Inspexi.ferre ad nuptam,quæ mittit adulter, 45
Quæ mandant,norint alij : me nemo ministro
Fur erit,atque ideo nulli comes exeo,tanquam
Mancus,& extinctæ corpus non vtile dextræ.
Quis nunc diligitur,nisi conscius,& cui feruens
Æstuat occultis animus,semperque tacendis? 50
Nil tibi se debere putat,nil conferet vnquam,
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri,qui Verrem tempore,quo vult,
Accusare potest. tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi,quodque in mare voluitur aurum, 55
Vt somno careas.ponendaque præmia sumas
Tristis,& à magno semper timearis amico.
Quæ nunc diuitibus gens acceptissima nostris,
Et quos præcipuè fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obstabit.non possum ferre Quirites 60
Græcam vrbem,quamuis quota portio fæcis Achææ?
Iam pridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes,
Et linguam,& mores,& cum tibicine chordas

Obliquas, necnon gentilia tympana secum
65 *Vexit, & ad Circum iussas prostare puellas.*
Ite quibus grata est picta lupa Barbara mitra.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicione, ast hic Amydone relicta,
70 *Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis*
Esquilias, dictumque petunt à vimine collem,
Viscera magnarum domuum, dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus, & Isæo torrentior. ede, quid illum
75 *Esse putes? quemuis hominem secum attulit ad nos*
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes;
Augur, schœnobates, medicus, magus: omnia nouit.
Græculus esuriens in cælum, iusseris, ibit.
Ad summam non Maurus erat, nec Sarmata, nec Thrax
80 *Qui sumpsit pennas, mediis sed natus Athenis.*
Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
Signabit, fultusque toro meliore recumbet
Aduectus Romam, quo pruna, & coctana vento?
Vsque adeò nihil est, quòd nostra infantia cælum
85 *Hausit Auentini bacca nutrita Sabina?*
Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum, ceruicibus æquat
Herculis Antæum procul à tellure tenentis?
90 *Miratur vocem angustam, qua deterius nec*
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Hæc eadem licet & nobis laudare: sed illis
Creditur. an melior cùm Thaida sustinet, aut cùm
Vxorem comœdus agit, vel Dorida nullo
95 *Cultam palliolo? mulier nempe ipsa videtur,*
Non persona loqui: vacua, & plana omnia dicas
Infra ventriculum, & tenui distantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hæmo.
100 *Natio comœda est. rides? maiore cachinno*
Concutitur: flet, si lachrymas adspexit amici,
Nec dolet: igniculum brumæ si tempore poscas,

Accipit endromidem, si dixeris aestuo, sudat.
Non sumus ergo pares: melior qui semper, & omni
Nocte, dieque potest alienum sumere vultum, 105
A facie iactare manus: laudare paratus,
Si bene ructauit, si rectùm minxit amicus,
Si trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo.
Praetereà sanctum nihil est, & ab inguine tutum:
Non matrona Laris, non filia virgo, neque ipse 110
Sponsus leuis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aulam resupinat amici.
Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.
Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
Gymnasia, atque audi facinus maioris abollae. 115
Stoicus occidit Baream delator amicum,
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est penna caballi.
Non est Romano cuiquam locus heic, vbi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Erymanthus: 120
Qui gentis vitio, numquam partitur amicum:
Solus habet. nam, cùm facilem stillauit in aurem
Exiguum de naturae, patriaeque veneno,
Limine summoueor: perierunt tempora longi
Seruitij: nusquam minor est iactura clientis. 125
Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod
Pauperis heic meritum, si curet nocte togatus
Currere, cùm Praetor lictorem impellat, & ire
Praecipitem iubeat dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam aut Modiam collega salutet? 130
Diuitis heic serui claudit latus ingenuorum
Filius: alter enim, quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Caluinae, vel Catienae,
Vt semel, atque iterum super illam palpitet: at tu
Cùm tibi vestiti facies scorti placet, haeres, 135
Et dubitas alta Chionen deducere sella.
Da testem Romae tam sanctum, quàm fuit hospes
Numinis Idaei: procedat vel Numa, vel qui
Seruauit trepidam flagranti ex aede Mineruam:
Protinus ad censum, de moribus vltima fiet 140
Quaestio: quot pascis seruos, quot possides agri

Iugera, quàm multa, magnaque paropside cenat.
QVANTVM quisque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei. iures licet & Samothracum,
145 *Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper*
Creditur, atque Deos, Dijs ignoscentibus ipsis.
Quid, quòd materiem præbet causasque iocorum
Omnibus hic idem, si fœda & scissa lacerna,
Si toga sordidula est, & rupta calceus alter
150 *Pelle patet: vel si consuto vulnere crassum,*
Atque recens linum ostendit non vna cicatrix?
NIL HABET infelix paupertas durius in se,
Quàm quod ridiculos homines facit. exeat, inquit,
155 *Si pudor est, & de puluino surgat equestri,*
Cuius res legi non sufficit, & sedeant heic
Lenonum pueri quocumque in fornice nati.
Heic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos iuuenes, iuuenésque lanistæ.
160 *Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.*
Quis gener heic placuit censu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres:
Quando in consilio est Ædilibus? agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
165 *HAVD facilè emergunt, quorum virtutibus obstat*
Res angusta domi. sed Romæ durior illis
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Seruorum ventres, & frugi cenula magno.
Fictilibus cenare pudet, quod turpe negauit
170 *Translatus subitò ad Marsos, mensamque Sabellam,*
Contentusque illic Veneto, duroque cucullo.
Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus. ipsa dierum
Festorum herboso colitur, si quando theatro
175 *Maiestas, tandemque redit ad pulpita notum*
Exodium, cùm personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans:
Æquales habitus illic, similemque videbis
Orchestram, & populum: clari velamen honoris
180 *Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.*
Hic vltra vires habitus nitor: hic aliquid plus,

Quam satis est: interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est: heic viuimus ambitiosa
Paupertate omnes. quid te morer? OMNIA *Romæ*
Cum pretio. quid das, vt Cossum aliquando salutes: 185
Vt te respiciat clauso Vesento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libis venalibus. accipe, & illud
Fermentum tibi habe. præstare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia seruis. 190
Quis timet, aut timuit gelida Præneste ruinam,
Aut positis nemorosa inter iuga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos vrbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui. nam si labentibus obstat 195
Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum,
Securos pendente iubet dormire ruina.
Viuendum est illic, vbi nulla incendia, nulli
Nocte metus. iam poscit aquam, iam friuola transfert
Vcalegon: tabulata tibi iam tertia fumant: 200
Tu nescis. nam si gradibus trepidatur ab imis:
Vltimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluuia, molles vbi reddunt oua columbæ.
Lectus erat Codro Proculâ minor: vrceoli sex,
Ornamentum abaci: necnon & paruulus infra 205
Cantharus, & recubans sub eodem marmore Cheiron,
Iamque vetus Græcos seruabat cista libellos.
Et diuina Opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus. quis enim negat? & tamen illud
Perdidit infelix totum nil: vltimus autem
Ærumnæ cumulus, quòd nudum, & frustra rogantem 210
Nemo cibo, nemo hospitio, tectóque iuuabit.
Si magna Asturî cecidit domus, horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia Prætor.
Tunc gemimus casus vrbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc? & iam accurrit qui marmora donet, 215
Conferat impensas. hic nuda & candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti,
Phecasianorum vetera ornamenta Deorum,
Hic libros dabit, & forulos, mediámque Mineruam,

220 *Hic modium argenti: meliora, & plura reponit*
Persicus arborum lautissimus, & meritò iam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.
Si potes auelli Circensibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur.
225 *Quanti nunc tenebras vnum conducis in annum?*
Hortulus heic, puteúsque breuis, nec reste mouendus,
In tenueis plantas facili diffunditur haustu.
Viue bidentis amans, & culti villicus horti:
Vnde epulum possis centum dare Pythagoreis.
230 *Est aliquid quocunque loco, quocunque recessu,*
Vnius sese dominum fecisse lacertæ.
Plurimus heic æger moritur vigilando: sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, & hærens
Ardenti stomacho. nam quæ meritoria somnum
235 *Admitunt? magnis opibus dormitur in vrbe.*
Inde caput morbi: rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis conuicia mandræ
Eripiunt somnum Druso, vitulísque marinis.
Si vocat officium: turba cedente vehetur
240 *Diues, & ingenti curret super ora Liburno,*
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.
Namque facit somnum clausa lectica fenestrâ:
Ante tamen veniet: nobis properantibus obstat
Vnda prior: magno populus premit agmine lumbos
245 *Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro*
Alter: at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, planta mox vndique magna
Calcor, & in digito clauus mihi militis hæret.
Nónne vides quanto celebretur sportula fumo?
250 *Centum conuiuæ: sequitur sua quemque culina.*
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quot recto vertice portat
Seruulus infelix, & cursu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ sartæ. modò longa coruscat
255 *Serraco veniente abies, atque altera pinum*
Plaustra vehunt, nutant altè, populóque minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, & euersum fudit super agmina montem;

Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Inuenit? obtritum vulgi perit omne cadauer
More animæ. domus interea secura patellas 260
Iam lauat, & bucca foculum excitat, & sonat vnctis
Strigilibus, & pleno componit lintea gutto,
Hæc inter pueros variè properantur: at ille
Iam sedet in ripa, tetrúmque nouicius horret 265
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet qui porrigat ore trientem.
Respice nunc alia, ac diuersa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, vnde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris 270
Vasa cadunt, quanto percussum pondere signent:
Et lædant silicem. possis ignauus haberi,
Et subiti casus improuidus, ad cenam si
Intestatus eas. adeò tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ. 275
Ergo optes, votúmque feras miserabile tecum,
Vt sint contentæ patulas defundere peluies.
Ebrius, ac petulans, qui nullum fortè cecidit
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Peleidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus: 280
Ergo non aliter poterit dormire. quibusdam
Somnum rixa facit: sed quamuis improbus annis
Atque mero feruens, cauet hunc, quem coccina læna
Vitari iubet, & comitum longißimus ordo:
Multum præterea flammarum, & aënea lampas. 285
Me, quem Luna solet deducere, vel breue lumen
Candelæ, cuius dispenso. & tempero filum,
Contemnit. miseræ cognosce proœmia rixæ.
Si rixa est, vbi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat cotra, starique iubet, parere necesse est. 290
Nam quid agas: cùm te furiosus cogat, & idem
Fortior? vnde venis, exclamat: cuius aceto,
Cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor, & elixi veruecis labra comedit?
Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem. 295
Ede, vbi consistas, in qua te quæro proseucha?

Dicere si tentes aliquid, taciiúsve recedas
Tantumdem est: feriunt pariter: vadimonia deinde
300 *Irati faciunt. libertas pauperis hæc est.*
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.
Nec tamen hoc tantum metuas, nam qui spoliet te.
Non deerit, clausis domibus postquam omnis vbique
305 *Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.*
Interdum & ferro subitus grassator agit rem?
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pontina palus, & Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad viuaria currunt.
310 *Qua fornace graues, qua non incude catenæ?*
Maximus in vinclis ferri modus: vt timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ & sarcula desint.
Felices proauorum atauos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub Regibus, atque Tribunis
315 *Viderunt vno contentam carcere Romam.*
His alias poteram, & pluresu subnectere caussas:
Sed iumenta vocant, & Sol inclinat: eundum est.
Nam mihi commota iamdudum mulio virga
Innuit: ergo vale nostri memor, & quoties te
320 *Roma tuo refici properantem reddet Aquino,*
Me quoque ad Heluinam Cererem, vestramque Dianam
Conuelle à Cumis: Satyrarum ego, ni pudet illas
Auditor gelidos veniam caligatus in agros.

IN SATYRAM III.

VETERIS CONFVSVS AMICI.] Perturbatus propter digressum veteris amici, Vmbricij Aruspicis, de quo Plinius libro 10. cap. 4.

CVMIS VACVIS.] Campaniæ vrbs, antiquitate cunctas, & Siciliæ, & Italiæ vrbes antecellit. vacuis, ciuibus desertis.

SIBYLLÆ.] Cumanæ. Nam illic sacellum habebat.

IANVA BAIARVM EST.] Contiguus Baiis Lucrinus est sinus, gratū litus dicit,

dicit,quia amœna sunt Campaniæ littora. Baius socius Vlyssis Baias condidit. Cumæ ciuitas est ianua Baiarum.

AMŒNI SECESSVS.] Receptacula amœnissima. Martialis lib. vndecimo de Baiis.

Littus beatæ Veneris aureum Baias
Baias superbæ blanda dona naturæ.

PROCHYTAM PRÆPONO SVBVRÆ.] Id est vilissimum locum, præpono Suburæ amœniori loco vrbis; ante Misenum Prochyta iacet insula. Subura, non Suburra vt Varro ait, scribitur, erat celeberrima regio vrbis. Martialis lib. 12.

Nulla nec in media certabit nata Suburâ.

CVM TOTA DOMVS RHEDA COMPONITVR VNA.] Stetit Vmbricius expectans rhedam iuxta arcus lateritios in memoriam triumphi & victoriæ erectos. Madidam Capenam portam vocat, propter fontes & aquæductus qui prope portam illam sunt. Turneb. li. 10. c. 27. de arcubus aquæductuum, qui illic erant interpretandum putat. Martialis.

Capena grandi porta qua pluit gutta,
Phrygiæque matris almo qua lauat ferrum.

VBI NOCTVRNÆ NVMA CONSTITVEBAT AMICÆ.] in loco, in quo Numa Pompilius Rex Romanorum constituebat tempus loquendi cum Ægeria Nymphâ amicâ, id est in loco Ægeriæ Nymphæ. Turnebus lib. 10. cap. 17. Martialis.

Tales Ægeriæ iocos fuisse,
Vdo crediderim Numæ sub antro.

NVNC SACRI FONTIS NEMVS ET DELVBRA LOCANTVR. Iudæis.] Liuius lib. 1. decadis primæ, Lucus erat quem medium ex opaco specu, fons perenni rigabat aqua, quo quia se persæpe Numa sine arbitris, velut ad congressum deæ inferebat, Camœnis eum lucum sacrauit, quod earum sibi consilia cum coniuge suâ Ægeria essent. Delubra, id est, templa. Delubrum inquit. Festus, dicebant fustem delibratum, hoc est decorticatum quod venerabantur pro Deo.

COPHINVS.] Vas ex virgultis, corbem alij interpretantur, vt Priscianus, & Columella lib. 2. cap. 3. confecta bruma stercoratam terrâ inditam Cophinis obserat. Iudæi adeo pauperes sunt, vt nihil habeant præter cophinum. Pendere, soluere. Virgilius lib. 6. Æneidos.

— tum pendere pœnas
Cæcropidæ iussi. Arbor, Sylua.

ET EIECTIS MANDICAT SYLVA CAMŒNIS.] Eiectis camœnis quibus sacrum erat nemus: Nam templa Camœnarum locantur Iudæis. sylua mendicat, id est Iudæi syluam incolentes mendicant. Camœnæ, Musæ à carminibus sunt dictæ, vel quod canant antiquorum laudes, vel quod sint castæ mentis præsides. Festus.

IN VALLEM ÆGERIÆ.] In lucum Camœnis consecratum.

SPELVNCAS.] Antra. Rupes excauatæ.

NVMEN AQVÆ.] Nullus fons credebatur sine numine, si herba circumdaret aquas fontales.

INGENVVM TOPHVM.] Lapidem ſcabrum illic naſcentem, ingenuum; id eſt, non adulteratum fuco, aut arte ſimulatum. Virgilius.

Et tophus ſcaber, & nigris exeſa chelydris
Creta.

Marmora polita arte, & illic conſtructa violarent tophum. Nam vis inferri videtur topho, qui ex loco ſuo detruditur, appoſitis marmoribus.

VMBRICIVS.] Aruſpex tempore Iuuenalis peritiſſimus, cuius meminit Plinius, & Tacitus hiſtoriarum libro primo, ſacrificanti pro æde Appollinis Galbæ aruſpex Vmbricius triſtia exta, & inſtantes inſidias ac domeſticum hoſtem prædicit audiente Othone. emolumenta, fructus.

HERE.] Pro heri, Martialis lib. 4. ad Euphemium.

Here qui puer Hylæ fuiſti,
Dic nobis hodie qua ratione vires.

DÆDALVS EXVIT ALAS.] Cumis intelligit, vbi Dædalus fugiens Minoëm, condidit templum Apollini. Ea quæ de Dædalo fabulæ ferunt, qui viſus eſt ſimulachra feciſſe mouentia: primus enim omnium pedes ſtatuarum à ſe inuicem ſeparauit, aliis coniunctim eos fabricantibus, vt Palephatus memorat, nec non quomodo cum filio Icaro Minorem naui fugerit, & propter inueſtigabilem viam aduolaſſe pennis exiſtimatus ſit.

LACHESI.] Parcæ ſeu deæ fatali, quæ hominum vitam, quaſi è colo filum trahens, paulatim deducit ad mortem. ſenſus, aliquid vitæ ſupereſt. Bacillo paruo, & leui baculo. Cedamus patria abeamus.

VIVANT ARTVRIVS ISTIC, ET CATVLVS.] Perditi adulatores, olim cornicines nunc potentiſſimi, viuant in noſtrra patriâ. Aſtorius legit Pulmanus (anima criticee) quia illius meminit Tacitus libro 12. non alia ratione motus.

MANEANT QVI NIGRVM IN CANDIDA VERTVNT.] Hoc eſt vitium in virtutes. Horatius.

Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

Et Perſius.

Per me equidem ſint omnia protinus alba.

ÆDEM CONDVCERE] reficiendam, ſiccandam eluuiem. publici phani cloacam intelligit.

BVSTA.] Loci in quibus mortui ſunt combuſti, & ſepulti, Seruius in 12. Æneid. libitinarios intelligit, Id eſt, turpe lucrum ſectantur. Nam conducunt ædes reficiendas, flumina purganda, & vectigalia, & portus, & libitinarij fiunt.

ET PRÆBERE CAPVT DOMINA VENALE SVB HASTA.] Quorum authoritate ſerui venduntur; præſunt enim venditionibus. neque enim ſerui vendi poſſunt ſub haſta, ſine authoritate eorum. vocatur autem haſta fiſcalis domina; quia dominus ſubiecit ſeruum haſtæ, vel qui ſe etiam vendi ſub haſta in auctione pati poſſunt ad pretium participan-

dum, adeo lucro addicti sunt. Plautus in Gurgulione,

In Tusco vico, ibi sunt homines
Qui ipsi sese venditant.

Mvnicipalis arenæ.] Gladiatorum ministri municipalem arenam dixit ad contemptum, quod in muneribus gladiatoriis municipiorum, non vrbis operam locarent. Turneb. arenæ, id est certaminis.

Bvccæ notæ mvnera nvnc edvnt.] Illi qui habent bucchas, quibus cornua inflant, notas propter magnitudinem edunt, hoc est distrahunt officia, vel ludos gladiatorios exhibent.

Verso pollice vvlgi.] Mutata fortunâ in muneribus gladiatoriis, qui eum qui succubuerat aduersario, occidi iugularique volebat pollicem vertebat. Turnebus verso pollice vulgi, seu si verso pollice tollatur fauor. hinc Prudentius.

Et quoties victor ferrum iugulo inserit, illa
Delitias ait esse suas pectusque iacentis.
Virgo modesta iubet conuerso pollice rumpi.

Qui vertit pollicem, fauorem denegat. pollex, digitus quod potestate inter cæteros polleat.

Condvcvnt foricas.] Cloacas, latrinas. foria enim teste Nonio, sunt stercora liquidiora. forire, vt ait Probus, est deiicere, & deonerare ventré.

Motvs astrorvm ignoro.] vt futura canam.

Fvnvs promittere patris, nec volo, nec possvm.] His qui sub seuero patre agentes, de morte ipsius cogitant. hinc Ouidius 1. Metamor.

Filius ante diem, patrios inquirit in annos.

Ranarvm viscera nvnqvam inspexi.] Ex ranæ rubetæ visceribus, hoc est linguâ, ossiculo, liene, iecore, & corde mira fieri constat, authore Plinio. hinc Propertius,

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt.

Me nemo ministro fvr erit] Non ero assessor furis.

Verrem.] Diuitem sceleratum, & furem, qualis fuerat Verres.

Opaci tagi.] Tagus fluuius Lusitaniæ, & Hispaniæ, aureas arenas voluens. Martialis.

Æstus serenos aureo frangens Tago,
Obscurus vmbris arborum est hic fluuius.

Catullus.

—inde tertia
Ibera, quam fit amnis aurifer Tagus.

Ponendaqve praemia svmas.] Quæ relinquere debebas, nam periculosum est scire arcana optimatum.

Non possvm ferre qvirites græcam vrbem.] O Romani, non possum ferre Græcos mores soli assentatores & nebulones sunt in pretio: cuiusmodi sunt græculi, & barbari quidam.

Qvamvis qvota portio fecis acheæ.] Licet minima portio gentis Acheæ, id est Græciæ sit Romæ, pauci Græci sunt, plures Syri.

IAM PRIDEM SYRVS IN TYBERIM DEFLVXIT ORONTHES.] Syri Romam venerunt, Oronthes fluuius est in Syria, Tyberis in Italia, Syrus Rex Sicyoniorum, ex cuius vocabulo Sytia nomen accepit, vt inquit Eusebius.

ET LINGVAM, ET MORES, ET CVM TIBICINE CHORDAS OBLIQVAS] Motes obliquos metaphorice, vel instrumenta musica intelligit. nam cythara chordas obliquas habet, vt ait Britann. vel cum musicâ Græci attulerunt mores corruptos, ad quos allusio est cum chordas dicit obliquas. Curio.

GENTYLIA TYMPANA.] Gentis suæ propria, quibus domi vtuntur.

ET AD CIRCVM IVSSAS PROSTARE PVELLAS.] In vrbem inuexerunt puellas quæstuarias. Propert. lib. II.

Quas Euphrates, & quas misit Oronthes,
Me capiant, nolim furta pudica tori.

Prostant meretrices cum ante fores stant expectantes.

ITE, QVIBVS GRATA EST PICTA LVPA BARBARA MITRA.] Meretrix barbara, & peregrina habens pictam mytram in capite, more gentis suæ. Claudianus *mythra ferocem barbara frontem premens.*

Numitor Procæ superioris regis filius, à fratre Amulio, regno pulsus, in agro suo vixit, filia eius adimendæ spei partus gratia virgo vestalis lecta; quæ cum 27. partui sui anno, geminos edidisset infantes; iuxta legem in terram viua defossa est, verum paruulos prope ripam Tyberis expositos Faustulus regis pastor armenti ad Accam Laurentiam vxorem suam detulit, quæ propter pulchritudinem & rapacitatem coporis quæstuosi lupa à vicinis appellabatur, vnde ad nostram vsque memoriam meretricum cellulæ Lupanaria dicuntur, vt ait Diuus Hieronymus in Cronicis Eusebij.

SVMIT TRECHEDIGNA.] Vestes peregrinæ, quibus in gymnsiis vtebantur: ego gymnasticas intelligo vestes, quæ à cursu nomen habent & cœna, vt perstringat Romanos rusticos acriter, qua veste etiam esuritores fortasse græculi ad cœnam cursitantes vti solebant, quare trechedipna hic iocoso vocabulo endromydem appellari reor. Turnebus lib. 3. cap. 17. cui astipulor reiecta veterum interpretum turba. noui semper scriptores, aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. vt ait Liuius lib. I. Decadis primæ.

ET CEROMATICO FERT NICETERIA COLLO.] Id est insignia & prœmia victoriæ pugilum, ceromatico collo, hoc est ceromate perunctо. erat autem ceroma vnguentum ex oleo, & terra in speciem luti, quo quidem in palestra vngebantur. Martialis ad Cæsarem,

Et castigatum Lybiæ ceroma palestræ, & lib. 7. ad Atticum
Vara nec iniecto ceromate brachia tendis.

HIC ALTA SYCIONE.] Id est vrbe illa Achaiæ relicta.

HIC AMYDONE.] Amydon Poeoniæ ciuitas, Troianis auxilium misit.

Hic andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis.] Andros est insula prima Cycladum., Samos vero insula modica est Icario in mari. Trallis vrbs Cariæ fœlicissima, ideo voluptatibus dedita. Strabo. Alabandæ vrbs minoris Asiæ.

Esquilias.] Esquiliæ ab eo quod à rege Tullo, mons ille Romanus, vel ab excubiis regiis, alij exquilias scribunt. Ouidius in Fastis,

Adde quod excubias illic rex Romanus agebat,
Qui nunc esquilias nomina collis habet.

Dictumque petunt a vimine collem.] Viminalis porta & collis appellatur, quia viminum fuisse sylua videtur, Festus Pompeius.

Isæo torrentior.] Isæus orator fuit, de quo Plinius lib.20. Epist. 3. ad Nepotem ita scribit: Magna Isæum fama præcesserat, maior inuentus est, summa est facultas; copia, vbertas, dicit semper ex tempore, tanquam diu scripserit. torrentior, id est eloquentior Isæo.

Aliptes.] Vnctor qui Athletas certaturos vngebat. Cicero Lentulo lib.1. Episto.9. sed vellem non solum salutis meæ, quemadmodum medici, sed etiam vt Alyptæ virium, & colloris rationem habere voluissent.

Schœnobates.] Funambulus, qui per funes ambulat.

Augur.] Qui garritum auium, pastum & volatum obseruat, & ex iis prædicit futura.

Ad summam non Maurus erat nec Trax.] Natus Athenis, vbi philosophi nascuntur.

Qui sumpsit pennas.] Græculus *qui in cælum iusseris ibit*, vt Dædalus. Id est qui profitetur omnium rerum scientiam, natus est Athenis, id est philosophus est, ideo deberet fugere turpe lucrum.

Horum ego fugiam conchilia.] Vestes fucatas, id est non profugiam Roma, cum videam in ea græculos tam locupletes, & diuites esse, vt conchyliata veste abundent. Turneb. lib.9. cap.3. Suetonius in Iulio Cæsare, Lecticarum vsum item conchyliatæ vestis, vt margaritarum nisi certis personis, & ætatibus perque certos dies ademit. Catullus de nuptiis Pelei & Thetidos.

Tincta tegit roseo conchyllis purpura fuco,
Hæc vestis priscis hominum variata figuris.
Heroum mira virtutes indicat arte.

Toro meliore recumbit.] Honoratiore in loco.

Advectus Romam quo pruna et coctana vento.] Id est eo vento quo ficus minores, & pruna damascena venerunt Romam. Martialis.

Hæc tibi quæ torta venerunt condita vento,
Si maiora forent coctana ficus erat.

Quod nostra infantia cælum hausit Aventini collis.] Id est Romæ nati sumus, & nutriti. Cælum dicitur, quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tanquam cælatum appellatur, sicut argentum cælatum eminentibus signis, vt ait Diuus Ambrosius libro He-

xameron. Auentinus Romuli superioris regis maior filius in eo monte qui nunc pars vrbi est, mortuus & sepultus, æternum loco vocabulum dedit.

BACCHA NVTRITA SABINA.] Fructibus ex Sabina allatis. Bacca fructus arborum agrestium est. *equat.* comparat cum ceruicibus Herculis.

ANTÆVM PROCVL A TELLVRE TENETIS.] Hercules subleuauit Antæum gigantem terræ filium palestricæ artis peritissimum, in cœlum procul à terra matre eius, quia terram tangens vires sumebat. Seneca in Hercule Oeteo.

Fleat Antæo libera tellus.

Lucanus fabulam Antæi describit.

VOCEM ANGVSTAM.] Gracilem & exilem.

QVA DETERIVS ILLE.] Amicus.

QVO MORDETVR GALLINA MARITO.] Goc est gallo, vocem habet qualem gallus, dum gallinam mordet.

SED ILLIS CREDITVR.] Id est græculis.

MELIOR CVM THAIDA SVSTINET.] Comœdus cum meretricem agit.

AVT CVM VXOREM.] Id est honestam matronam.

VEL DORIDA NVLLO CVLTAM PALLIOLO.] Nympham Oceani filiam nullo palliolo, velo & fasciâ ornatam, Id est nudam, vt sunt nymphæ maris, *infra ventriculum*, hoc est sinę pene.

ET TENVI DISTANTIA RIMA.] Inguina fœminea intelligit.

ANTIOCHVS, STRATOCLES, DEMETRIVS, HEMO.] Actores comœdiarum illius temporis peritissimi, quorum meminit Quintilianus lib. II. circa finem.

MAIORE CACHINNO.] Cachinnatio, inquit Cicero vituperatur, nimius risus est. Persius Satyra I.

Sed sum petulanti splene cachinno.

IGNICVLVM BRVMÆ SI TEMPORE POSCAS.] Tempore brumæ, tempore quo dies sunt breuissimi.

ACCIPIT ENDORMIDEM.] Vestem hyemalem crassam, qua maximo frigore vrgente vtebantur in gymnasiis, cursu & palæstra, quam pinguem & hirsutam fuisse constat ex Martial. lib. 4.

Hanc tibi sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedemonium barbara nomen habet.
Sordida, sed gelido non aspernanda decembri
Dona, peregrinam mittimus Endromida,
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus.

SI TRVLLA INVERSO CREPITVM DEDIT AVREA FVNDO.] Si calix aureus crepitum edat cadens è manu diuitis, vel bibacem arguit vt sentit Mancinellus quod in trulla bibat, & crepitum inter bibendum edat, vel vt ait Turnebus lib. 1. cap. 27. Si Trullam vini ebibit ita vt & fundum inuerterit, & epoto toto vino, labris sugens crepuerit, & strepitum dederit, ego tamen assentior Mancinello, cuius interpretatio

conuenientissima est Satyrico. Trulla est vas latum, profundumque potui ineptum, tamen pro calice vsurpatur. Horatius in Satyris.

Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Et Martialis lib. 9. de Herode

Clinicus Herodes Trullam subduxerat ægro,
Deprensus dixit, stulte, quid ergo bibis?

AB INGVINE] à pene.

NON MATRONA LARIS. Materfamilias non est tuta. Sponsus leuis; imberbis.

AVLAM RESVPINAT AMICI.] Domum amici subuertit.

AVDI FACINVS MAIORIS ABOLLÆ.] Maioris togæ, i. sceleris potioris. Abolla, vestis militaris, Nonius, & Suetonius in Caligula, loquens de Ptolomæo, conuertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animaduertit, Caligula scil. Martial. lib. 8. Crispinum irridet, qui posita abolla, togam sumpserat. Abolla etiam Philosophi vtebantur. Martialis loquens de Cinicophilosopho,

Cerea quem nudit tegit uxor abolla grauati.

STOICVS OCCIDIT BAREAM DELATOR AMICVM.] Tacitus Histor. lib. 4. Celer professus sapientiam, dein testis in Baream proditor corruptorque amicitiæ, cuius se magistrum ferebat. Quidam de Heliodoro hunc versum exponunt, quia dubitatur an Ægnatius fuerit Græcus. nam Iuuenalis hunc, de quo loquitur Græcum fuisse annuit. Lipsius tamen in Tacitum, poëtam de Ægnatio loqui autumat.

RIPA NVTRITVS IN ILLA.] Apud Tarsum Siciliæ ciuitatem cui condito Perseus nomen ex facto dedit, quia ibi vna ex talaribus ei excidit. hinc Ammiamus Marcellinus lib. 14. in Constantio & Gallo, Ciliciam verò quæ Citno amne exultat, Tarsus nobilitat, vrbs perspicabilis: hãc condidisse Perseus memoratur, Iouis filius & Danaes. alij Poëtam loqui putant de fonte caballino, quem ita dictum arbitrantur à penna Caballi. hinc Persius, nec fonte labra prolui caballino.

AD QVAM GORGONEI DELAPSA EST PENNA CABALLI.] Higinus ait Pegasum, equum Neptuni & Medusæ, Gorgonis filium fuisse. Pegasos, inquit Plinius lib. 10. cap. 49. equino capite volucres & gryphus aurita aduncitate rostri, fabulosos reor illos in Scythia, hos in Æthiopia. Gorgonei, id est Medusei. Medusa Gorgonidum regina fuit, hæ aues cum vires auxissent, à Perseo Iouis filio interfectæ sunt. *Protegenes* pictor cura præstantissimus fuit sicut ratione. *Diphilus* Iouis amicus Græcus adulator, Imperatori carus. *Erimanthus* fuit mathematicus, litis & controuersiæ vates & diuinus.

QVI GENTIS VITIO NVMQVAM PARTITVR AMICVM.] Græci soli volunt maioribus amici esse.

CVM FACILEM STILLAVIT IN AVREM.] Principis, qui facile audit adulatores. Imitatio est Horatiana.

Præceptum auriculis hoc distillare memento.

NVSQVAM IACTVRA CLIENTIS.] Quam nunc est Romæ.

SI CVRET NOCTE TOGATVS CVRRERE.] Vt diuitem comitetur. Toga vestis viliorum est, vt dixi supra Satyra prima

CVM PRÆTOR LICTOREM IMPELLAT ET IRE PRÆCIPITEM IVBEAT.] Impellat ministrum Prætor, qui fasces ferebat. non enim pudebat magistratus, vt hæreditates captarent, salutare viduas diuites, orbatas filiis.

NE PRIOR ALBINAM, AVT MODIAM COLLEGA SALVTET.] Competitor sportulæ ad idem munus missus, prior salutet ditissimas illas matronas orbas filiis.

DIVITIS HIC SERVI CLAVDIT LATVS INGENVORVM FILIVS.] Hic filius serui diuitis occupat locum ingenuorum. Claudit, i. tegit.

CALVINÆ VEL CASSIANÆ.] Nomina meretricum sunt.

CHIONEM.]Scortum. Martialis, de quo ipsemet

Digna tuo cur sis, indignaque nomine dicam.
Frigida es, & nigra es, non es, & es Chione.

Chion enim Græcè niuem significat.

QVAM FVIT HOSPES NVMINIS IDÆI.] Scipio Nasica à Senatu vir optimus iudicatus vt simulachrum matris deum de Phrigia allatum domi suæ haberet, dum ei templum fieret. hinc Liuius Deca. 3. lib. 9. responsum à Delphino oraculo cum Romam Deam deuexissent, tunc curarent vt eam qui vir optimus Romæ esset, hospitio susciperet. Eo accessit consultatio de matre Idæa accipienda, haud paruæ rei iudicium senatum tenebat, qui vir optimus in ciuitate esset, Publium Scipionem Cn. filium eius, qui in Hispania ceciderat adolescentem quæstorium, iudicarunt in tota ciuitate virum optimum esse.

PROCEDAT VEL NVMA.] Testis tam sanctus quàm fuit Numa secundus Rex Romanorum, qui cum curibus Sabinis habitaret, consultissimus vir omnis diuini atque humani iuris, auditoque nomine eius, Patres Romani ad vnum omnes ei regnum deferendum decreuerunt: Regno ita potitus vrbem iure, legibusque, ac moribus ornauit. Liuius lib. 1. decadis primæ.

VEL QVI SERVAVIT TREPIDAM FLAGRANT, EX ÆDE MINERVAM.] Signum cœleste Mineruæ armigeræ, quod in ciuitatem Troiam conciderat, seruabaturque in templo Vestæ: Sed cum id templum arderet, ministræ attonitæ flebant. Tunc itaque Metellus homo Patricius, & Pontifex Palladium ex mediis ignibus rapuit, ibique cæcatus est. hinc Ouidius lib. 7. fastorum.

Haurit aquas tollensque manus, ignoscite dixit
Sacra vir intrabo non adeunda viro.
Si scelus est, in me commissi pœna redundet
Sit capitis damno Roma soluta mei.
Dixit, & irrupit, factum Dea rapta probauit
Pontificisque sui munere tuta fuit.

PROTINVS AD CENSVM.] Si testis adhibeatur, statim inspicietur census, reditus, vectigalia, diuitiæ quas possidere permittebatur à censoribus.

PAROPSIDE

PAROPSIDE CAENAT.] Pro obsoniorum lance & vase ponitur, patinæ genus est. Martialis lib. 11. ad Flaccum.

Cui portat gaudens ancilla paropside rubra,
Halecem.

IVRES LICET ET SAMOTRHACVM.] Samothraca insula est in mari Ægeo. Id est, per Deos Penates iuret peregrinos periurus existimatur & mendax. Varro 2. humanarum. & Dardanum Deos Penates Samothrace in Phrygiam: Æneam ex Phrygia in Italiam aduexisse tradit.

LACERNA.] Vestis oblonga & virilis.

RECENS CICATRIX.] Vestigium rupturæ ostendit filum densum. Ita ait Romæ rideri paupertatem, non vitia.

DE PVLVINO SVRGAT EQVESTRI.] De sedibus equitum surgat, qui pauper est. Martialis lib. 4. de Chæreſtrato.

Quadringenta tibi non sunt Chereſtrate surge
Lectius ecce venit.

CVIVS RES LEGI NON SVFFICIT.] Id est, Othonis Tribuni plebis, qui iussit eos qui quadringentorum sestertiorum haberent reditum, in numero equitum esse.

FORNICE.] Prostibulo, lupanari, quod sub fornicibus habitare consueuissent meretrices. Seneca lib. 1. controuersiarum, redoles adhuc fuliginem fornicis. Nitidi. diuitis, splendidi.

PINNI RAPI CVLTOS IVVENES IVVENESQVE LANISTÆ.] Pinnis pauorū ornari solent gladiatores, quando ad pompam descendūt, vel pinnirapes, quia pennas habebant in galeis. Pinnirapi, id est retiarii, gladiatoris. Lucilius.

Cum septem incolumis pinnis ac recepit se.

Hinc Turnebus libro 3. cap. 8. Pinnirapus exponitur Retiarius, qui pinnam & summitatem galeæ mirmillonis appetebat, & se piscem qui in ea erat petere clamabat, & Varro, pinnæ, quas insigniti milites in galeis habere solent, & in gladiatoribus Samnites & onomastichon, pinnirapi inquit sectatores, gladiatores quod pinnas rapiant. Lanista verò dicitur, qui præest laniandis gladiatoribus.

SIC LIBITVM VANO QVI NOS DISTINXIT ORTHONI.] Lucius Otho legem Theatralem tulit, ait Pædianus, qua pauperes & seruiles separabantur à diuitibus, cuius legis meminit Horatius epodon.

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone Contempto sedet.

SARCINVLIS.] Impar doti.

QVANDO IN CONSILIO EST ÆDILIBVS.] Id est, cum ædilibus. Ædiles minores erant magistratus, ædium sacrarum & priuatarum curam habebant, dicti ædiles, quod ad eos plebi facilis esset aditus Festus. Ædiles, pauperes à consilio arcent, inquit poëta.

AGMINE FACTO DEBVERANT OLIM TENVES MIGRASSE QVIRITES.] Populus Romanus debebat discedere Roma.

CONATVS.] Impensa vltra vireis est illis durior Romæ.

SERVORVM VENTRES.] Cibaria seruorum.

FICTILIBVS COENARE PVDET QVOD TVRPE NEGAVIT, Trans-

LATVS SVBITO AD MARSOS MENSAMQVE SABELLAM.] M. Curius Dentatus bis de Sabinis de triumphauit. Legatis Samnitũ aurũ offerentibus, cùm ipse in foco rapas torreret: Malo hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare. Negauit ergo turpe esse cœnare in fictilibus. Marsi, Italiæ populi. per Sabellam Samnites intelligit poëta, qui vt Festus ait, dicti sunt à colle Samnio, vbi & Sabini aduentãtes cõsederũt.

VENETO DVROQVE CVCVLLO.] Venetus color marinis fluctibus similis est. venetum cœruleum temperare Alexandria reperit, hoc colore viles panni tingebantur. Duro cucullo] Crasso cucullo, capitis velãento.

NEMO TOGAM SVMIT NISI MORTVVS.] Plin. ad amicũ qui rure agebat, lib, 7. epist. Quousque regnabis, quousque vigilabis, cum voles dormies, quandiu voles, quousque calcei nusquam toga feriata, liber totos dies, quia mortui togis pretiosis ornabantur, quibus parcebant viui, nec illas induebant. hinc Martialis:

Aut pallens toga mortui Tribulis.

Ista, inquit poëta, non viuunt ambitione, vt clientes togati adsint diuitibus salutandis, vt fit Romæ.

HERBOSO THEATRO.] Quia herbis & ramis theatrum ornabatur.

NOTVM EXODIVM.] Exodia in Attellanis fabulis diuerbia vocabantur, quod tragœdis è scena egressis ad recreandum spectatorem è pristina mœstitia subiiciebantur, vt ait Turnebus libro 10. cap. 17. Lucilius

Principio exitus dignus exodiumque sequetur.

Alibi idem poëta

Vrbicus exodio risum mouet Atellanæ.

Vrbici actores harum fabularum vocabantur.

SIMILEMQVE VIDEBIS ORCHESTRAM.] Tu videbis, inquit, habitus æquales, & orchestram similem, id est, nullum est discrimen inter plebeios & senatores. Orchestra quatuordecim gradus, in quibus senatores sebãt. Suetonius in Iulio Cæsare, Deinde in Orchestrã senatũq; descẽdit.

SVFFICIVNT TVNICÆ SVMMIS ÆDILIBVS ALBAE.] In municipiis ædiles, quia præsunt ludis, habent tunicas albas, non alij. at Romæ omnes spectantes habent tunicas albas. Martialis.

Et plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.

VT COSSVM.] Nobilem, diuitem.

VT TE RESPICIAT CLAVSO VEIENTO LABELLO.] Ditissimus, superbus, qui salutantibus non respondebat, nec eos aspiciebat, de quo Lipsius in Tacitum, Puto illum esse qui aliàs Fabricius dicitur Dioni, quique prætor canes Circensibus ad currus adiunxit.

ILLE METIT BARBÀM, CRINEM HIC DEPONIT AMATI.] Meti barbam pueri diuitis, quem habet in deliciis, vt Deo sacraret, barba deo sacrabatur Suetonius de Nerone, Barbam primam posuit, conditam in auream pixidem & pretiosissimis margaritis adornatam consecrauit. de illo sacrificio hic loqui censeo Iuuenalem. Martialis.

Hos tibi Phœbe vouet totos à vertice crines,
Encolpus domini Centurionis amor.

PAENA DOMVS LIBIS VENALIBVS.] Cibariis genus dulciarij. cibi ex

farre, melle & oleo. Virgil. lib. 7. Æneid.

— & adorea liba per herbam
Subiiciunt epulis.

Donant inquit Poëta, liba, quæ vendunt ad augenda peculia seruorum. Cultis, id est, bene vestitis seruis: festo quippe die seruis donare cogimur, vt admittamur ad salutationem dominorum. Peculia sunt quæ serui habent vltra domini potestatem, vt inquit Seru.

GELLIDA PRÆNESTE RVINAM.] Præneste est oppidũ Tusciæ dictũ, si Festo credimus, quod locus in quo situm est montibus præest.

VOLCINIIS.] Volcinenses sunt in Etruia vt ait Strabo.

AVT SIMPLICIBVS GABIIS.] Non ornatis. Gabij vrbs in Prænestina via. Horat. lib. 1. epist. 2.

Sis Lebedus quam sit Gabiis desertior; atque
Fidenis vicus.

AVT PRONI TYBVRIS ARCE.] In præcipiti posita.

TENVI TIBICINE FVLTAM.] Tibicinatam, tanquam tibicina, id est materia gracili munitam, tenui tibicine, substentaculo. Tibicines inquit Festus, in ædificiis æstimantur dicti à similitudine tibiarum canentium, qui vt cantantes sustinerent, ita illi ædificia.

IVBET.] Villicus iubet dominos securos dormire.

VCALEGON.] Incendia sunt Romæ, & metus est ne fit Vcalegon, id est aliquis tibi vicinus vt erat Vcalegon Æneæ cuius domus cõburatur. Virg.

— iam proximus ardet.
Vcalegon.

Friuola transfert cum videt ignem extingui non posse. Vcalegon fuit vnus ex Priami senatoribus. suprema pars ædium, tegula,

LECTVS ERAT CODRO PROCVLA MINOR.] Lectus adeò paruus erat Codro, vt vxor eius Procula non posset esse tota in lecto cum marito. Codrus Poëta erat extremæ paupertatis, qui Theseida recitabat, vt supra Satyra prima dixi. Martialis lib. 3. de Codro.

Plus credit nemo quam tota Codrus in vrbe,
Cum sit tam pauper, quomodo cæcus amat?

VRCEOLI SEX.] Parua vascula. vrceus est vas paruum fictile, hic diminutiuo vtitur. Horatius de arte Poëtica.

— amphora cepit
Institui currente rota cur vrceus exit.

ORNAMENTVM ABACI.] Abacus mensæ genus est ex opere intestino, in quo vasa omnis generis ponebant. Vel Abacus est tabula constructa vt pocula & cætera vasa sustineat. Ironice loquitur Poeta. Supellectile legata Paulus l. 2. de suppellectile legata D. contineri ait Delphicas, hoc est Abaci Dephicæ ministeriũ. marmoreã Delphicã fuisse Porphirio scribit. Cicero. 4. in Verrẽ, mensas Delphicas è marmore esse dicit, Martialis

Aurum non simplex Delphica portat

Aggerius in Delphica, inquit, comparia vasa semper sunt. Vide plura apud Cujacium lib. 10. Obseru. cap. 3. Abaci etiam Ausonius meminit.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

CANTARVS.] Poculi genus. Horatius:

Vile potabis modicis Sabinum, Cantharis.

ET RECVBANS SVB EODEM MARMORE CHEIRON.] Sub eadem mensa erat effigies Cheironis sculpta. Cheiron hypocentaurus fingitur.

OPICI RODEBANT CARMINA MVRES.] Opicum pro Osco ponitur, vt inquit Festus. Oscis enim fuit vsus libidinum spurcarum. hinc obscœna verba, impudica dicta sunt. mures Osci, barbari, fœdi, putidi rodebant diuina carmi[illegible]. Ironicè loquitur, quia Satyra prima dixit poëta Rauci Theseide Codri se vexatum esse.

ASTVR. CECIDIT DO[illegible]VS.] Malo legere Arturi cum Calderino, de quo supra poëta,

— Viuant Arturius isthic, Et Catulus.

PVLLATI PROCERES.] Cum nigris vestibus lugentes, pullum enim nigrum significat. Virgil.

— ne maculis infuscet vellera pullis.

Mater, Roma.

DIFFERT VADIMONIA PRÆTOR.] Dictionem iuris, siue sponsiones sistendi in iudicio.

ODIMVS IGNEM.] Quia lugentes non sinunt ignem esse in ædibus.

CANDIDA SIGNA.] Statuas marmoreas Euphranoris & Polycleti, qui fuerunt optimi pictores, quorum meminit Quintil. lib. 12.

PHECASIANORVM VETERA ORNAMENTA DEORVM.] Id est, Atheniensium, in quorum templis statuæ illæ fuerunt. Phecasiani vocabantur sacerdotes Atheniensium & Alexandrinorum. Deorum Græciæ & templorum ornamenta Iuuenalis significat. nam in templis erant tabulæ pictæ, atque signa. Turnebus lib. 10. cap. 27. De Antonio Apianus ita scribit lib. 5. de bello ciuili, Exutus curis omnibus & imperij muneribus, stolam quadratam Græcorum more pro prima domestica induit, calceamenta candida sumpsit, qualia Atheniensium sacerdotes & Alexandrinorum, quos Phecasios vocant, gestare consueuerunt. Hesichius verò Phecasium, calceamentum rusticum putat.

FORVLOS.] Armarium, siue bibliotheca. Virg. lib. 4. Æneid.

Implessemque foros flammis.

Id est, tabulata nauium, inquit Seruius.

MEDIAMQVE MINERVAM.] Vetus æs habens mediam partem imaginis Mineruæ, non enim intelligit Mineruam collocatam in medio, vt censet Britannicus.

MODIVM ARGENTI.] Modius mensura erat librarum viginti quatuor.

PERCICVS ORBORVM LAVTISSIMVS.] Persic[illegible] ille lautissimé & delicatissime viuēs, inter eos qui carebant liberis. Persicū pro diuite posuit etiā Horat.

Persicos odi puer apparatus.

SI POTES AVELLI CIRCENSIBVS.] à ludis curulibus qui in circo fiebant, ideò dicti Circenses, de quibus D. Hierony. in vita Hilarionis Eremitæ, Sed & Italic. eiusdē opidi municeps. Christian. aduersus Gazensem, duumuirū, Marnæ idolo deditum circenses equos nutriebat, hoc siquidē in Romanis vrbibus. iam inde seruabatur à Romulo, vt propter felicem Sabinarum raptum ab ipso quasi consiliorum Deo, quadrigæ sep-

teno currant circuitu,& equos partis aduersæ fregisse victoria sit.

SORÆ AUT FABRATERIÆ DOMUS AUT FRUSINONE PARATUR] Ciuitatum nomina Campaniæ,in via Latina,vt ait Strabo lib.5.

TENEBRAS] Tenebrosam domum tāti poteris parare hortum & puteum intus oppidis Italiæ,quanti conducis tenebrosas ædes.

VIVE BIDENTIS AMANS] Amans agriculturæ,quæ bidente fit.bidens genus est sarculi,inquit Britannicus sed hallucinatur vir minimè malus.

VNDE EPULUM POSSIS CENTUM DARE PYTHAGOREIS] Discipulis Pythagoræ,qui animatis abstinere iussit.discipuli Pythagoræ oleribus vescebantur & leguminibus. hinc alibi Poëta.

— Ventri indulsit non omne legumen.

EST ALIQUID QUOCUNQUE LOCO QUOCUNQUE RECESSU, UNIUS SESE DOMINUM FECISSE LACERTÆ] Exigui agri & hortuli, quem lacerta occultare posset.continens pro contento per metonymiam.Horatius.

Seu virides rubum dimouere lacertæ
Et corde & genibus tremit.

CIBUS IMPERFECTUS] Indigestus,hærens ardenti stomacho.

MERITORIA] Propriè sunt ea,quæ mercede locantur, à merendo dicta. Vlpianus l. 13. D. de Vsufructu. Quod autem dicit meritoria, ita accipe quæ vulgo diuersoria vel fullonica appellant. hîc pro tabernis mercede conductis sumuntur,in quibus mechanici operantur. Tranquillus meritoria vehicula,& meritoriū cœnaculum dixit.Cicero in Antonium.Phil. 2.Ingenui pueri cum meritoriis,& matresfamiliâs cum meretricibus versabantur.

MAGNIS OPIBUS DORMITUR IN URBE] Magna potentia silentium imponitur vicinis tabernariis,& magno pretio somnus constat.

RHEDARUM TRANSITUS ARCTO VICORUM INFLEXU] Transitus curruum in angusto flexu regionum vrbis.

ET STANTIS CONVITIA MANDRE] Martialis.

Sic vincas Nouiumque Publiumque
Mandris,& vitreo latrone clausos,

Mandræ locus in quo porci includuntur. Martialis.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

Hîc pro mulionibus accipitur, *Stantis conuitia mandræ*, id est,conuitia mulionis,qui minis agit iumenta.

ERIPIUNT SOMNUM DRUSO] Somniculoso viro.

VITULISQUE MARINIS] Phocis, Plinius lib.9.ait nullum animal premi grauiore somno.Virgil.in Georgicis.

Sternunt se somno diuerso in littore,Phocæ.

SI VOCAT OFFICIUM] Si magistratus vel officium publicum iubeat adesse diuitem.

ET INGENTI CURRET SUPER ORA LIBURNO] Lecticario ex Liburnia Dalmaciæ,vicina regione. Britannicus; vel liburno, id est vehiculo , quo ditiores vehuntur. Valla. Seneca ad Lucilium , Quos supra capita hominum supraque turbam delicatos lectica suspendit.

VNDA] Turba populi stantis ad officium. FERIT HIC CUBITO] i. brac-

chio. Cubitus est curuatura bracchij vbi lacerto iungitur, Horat.

Lenite clamorem sodales,

Et cubito remanete presso.

ASSERE] Palo, vel amite, pro ligno quo lectica sustinebatur, ponitur. Festus.

TIGNVM CAPITI INCVTIT] Lignum quod in ædificio transuersum ponitur, Festus.

ILLE METRETAM] Vas quod amphorã capit. Mart. lib. 4. ad Lectorem.

Plurimus Hispanas mittet tibi nauta metretas.

PINGVIA CRVRA LVTO] Cœnosa luto, fumo, studio vel apparatu.

ET IN DIGITO CLAVVS MIHI MILITIS HERET] Milites caligas gestabant clauis aureis ornatas. hinc alibi Poëta, cum duo crura habeas offendere tot caligatos millia clauorum. Nam clauata dicuntur aut vestiméta clauis intexta, aut calceamenta clauis infixa. Heret in digito, pedis scilicet.

CORBVLO VIX FERRET TOT VASA INGENTIA] Corbulo vir fortissimus corpore, ingens erat, verbis magnificus, adeo vt omnium ora in se verteret. Tacitus. hinc Plin. Corbulo vir validissimus fuit tempore Neronis, à quo occisus est. Ammian. Marcel. lib. 15. in Constãtio, Vt quondam Domitius Corbulo dicitur cæsus in colluuione illa Neroniani seculi, prouinciarum fidus defensor & cautus.

SERRACO, VEL SARRACO VEIENTE ABIES] Sarracũ vehiculi genus fortissimum, quo quidem lapides & ligna vehebantur: abies Sapinus vulgo dicitur, est lignum maximũ. Calderin. hic male legit veniente pro veiẽte.

SAXA LIGVSTICA PORTAT] Liguria insula, in ipsis Appenninis mõtibus inter Galliã, atque Etruriã sita est, nihil descriptione dignum habens: populi illic saxa incidẽtes vitam agunt. Montem hyperbole. i. ingens saxum.

OBTRITVM VVLGI PERIT OMNE CADAVER MORE ANIMÆ] Sicut animæ non videntur, ita cadauera minutatim conscisa obteruntur. Varro.

PATELLAS] Patellæ vasa picata parua sacrificiis apta,

STRIGILIBVS] ferreum instrumentum ad radendum lauantium corpus, sudoremque tergendum idoneum.

LINTEA GVTTO] Iis enim madida corpora siccantur, guttus vas erat ex cornu, quod guttatim oleum fundebat lauantibus, Varro lib. 4. de lingua Latina.

PORTMÆA] Caronta Virg.

Portitor ille Caron. qui transuehit animas.

ALNVM] Cimbam ex alno arbore in aquis durante plurimum. Claud.

Qui dubiis ausus committere flatibus alnum.

NEC HABET QVI PORRIGAT ORE TRIENTEM] quartam partem assis. trientem quem porrigit scilicet Caronti, ideo solebãt Athenienses mortuis sub lingua trientem ponere pretium transuectionis, ne tanquã inopes errarent, Virg. *Hæc omnis quam cernis inops inhumataque turba est.* Et Apul. Metamorph. lib. 5. huic squalido seni nauli nomine de stipibus quas feres, alteram sic tamen, vt ipse sua manu de tuo sumat ore.

PATVLAS EFFVNDERE PELVES] Emittere quod in vasis est: peluis est quasi pedonis, à pedum lauatione dicitur, vt scribit Varro.

NOCTEM PATITVR LVGENTIS AMICVM PELEIDÆ] Patitur noctem

Achillis filij Pelei lugentis amicum Patroclem, qui audita morte eius, cupidus vindictæ non potuit quiescere.

QVIBVSDAM SOMNVM RIXA FACIT] Adolescentes libidinosi & luxuriantes libentius dormiunt, si aliquem ceciderint iuxta illud Pronerbiorum Salomonis, cap. 4. Ne delecteris in semitis impiorum, non enim dorniunt nisi malefecerint, & non rapitur somnus ab eis, nisi supplātauerint.

IMPROBVS ANNIS] Iuuenis, quia iuniores sunt insipientiores ob ardorem & feruentem sanguinem.

CAVET HVNC QVEM COXINA LENA VITARI IVBET.] Euitat hunc quem purpura vitari iubet. lena vestimētum militare, quod tegit omnia alia vestimenta. Virgil. *Tyriaque ardebat murice lena.*

Et Matialis lib. 4.

Si Veneto prasinone faues qui coccine sumis,
Ne fias ista transfuga sorte vide.

Coccum, granum est Galatiæ, coloris purpurei, Plin. lib. 22. cap. 11.

ET ÆNEA LAMPAS] Tribuni incedebant prælato candelabro, quod magno luxu, ex ære Corinthio fiebat, de quo vide Plinium lib. 34. de Candelabro Corinthio, Martialis. lib. 14.

Nomina Candelæ nobis antiqua dederunt,
Non norat parcos vnda lucerna patres.

CVIVS DISPENSO] Cuius Candelæ papyrum temporibus partior vt duret, ne aut citius ardeat, aut extinguatur.

CVIVS CONCHÆ TVMES] Conchis faba elixa cum cortice Mart. lib. 13.

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa
Lanterum cœnis sæpe negare potes.

Cuius conchæ tumes, i. cuius fauore tumes, vel apud quem cœnasti? quis tibi amicus. Insultat pauperi, quod vilissimis cibis pascatur etiam ab aliis.

SECTILE PORRVM.] Folia porri, quæ facile diuiduntur & secantur.

ELIXI VERVECIS LABRA.] Labra arietis castrati cocti aqua, qui cibus vilis est, & miserorum. Accipe calcem, id est ictum calcei ede. Dic vbi consistas, vbi habites.

IN QVA TE QVÆRO PROSEVCHA.] In quo tugurio? proseucha locus in quo mendici stipem petunt proseucha etiam sumitur pro loco in quo Deum orant. Iunius. Et Turnebus lib. 1. cap. 23. Proseuchæ erant phana, & oratoria Iudæorum & Romanorum. Philo de proseuchis. Cleomenes in 2. circularis inspectionis lib. aduersus Epicurum, ex iis nonnulla è lupanaribus ascita, quædam simillima iis quæ in Cerialibus à fœminis dictitātur, alia vero ex media proseucha, atque ab iis ipsis qui illic mendicant desumpta, miror, inquit Cælius Curio, cum Cleomedes Græce scripserit, quid sibi velit Polyrianus, referens hæc ex Cleomede, Brittannicus vir alioqui doctus ait vocabulū hoc Prosencha nusquam alibi inueniri apud Latinos authores, cui videtur adstipulari secundus ille Curio, quos latebat Philo Iudæus, vt videre est.

VADIMONIA FACIVNT,] Citant, vt constituto die adsint in iudicio.

PVGNIS CONSCISVS ADORAT] Concussus, & confusus supplex petit, vt abire liceat paucis cum dentibus cæteris excussis.

FIXA CATENATÆ.] Quia catenas grandes ferreas per singulos axes inducunt. Martialis.

Nulla catenatis præscincta est pila lagenis.

Grassator, id est miles, grassari proprie latrones dicuntur vias obsidentes.

ET PONTINA PALVS, ET GALLINARIA PINVS] Loca sunt abundantia latronibus in Campania. Pontina palus in antiquo latio est, Suetonius in Iulio Cæsare, data Marco Varroni siccare Põtinas paludes. sylua Gallinaria in sinu Cumano erat multis arboribus densa, & vastitate, apta grassatoribus. Strabo & Tranquillus.

INCVDE.] Ferro duriore, in quo aliud cruditur.

NE VOMER DEFICIAT, NE MARRÆ ET SARCVLA DESINT] Instrumenta rusticorum, quibus terra colitur.

FELICES PROAVORVM ATAVOS.] Proauorum cognatio, pater, auus, proauus, abauus, atauus, tritauus. l. 4. D. de gradib. affini.

ATQVE TRIBVNIS.] Qui post reges consulari potestate remp. gubernarunt. Nam cum plebs à senatu, & consulibus premeretur, duos tribunos, quasi proprios iudices & defensores creauit aduersus iniuriam nobilium. *Mulio*, rector mulorum.

REDDET AQVINO] In via Latina Aquinum est magnum oppidum Volscorum, iuxta quod Melpis flumen labitur, vt scribit Strabo lib. 5. reddet Aquino properantem, festinantem, & vrbis incommoda fugientem, reddet patriæ tuæ, ô Iuuenalis.

ME QVOQVE AD HELVIAM CEREREM.] A fonte non longe ab Aquino. Lubinus. Cererem sic dictam quidam existimant, quia ab incolis Heluinus fons appellatur, apud quem & templorum vestigia sunt, quæquidem & Dianæ putantur fuisse. Plinius lib. 4. cap. 14. alij scribunt Eluinam ab eluendo dictam, id est lauando. Nam qui sacris Cereris initiabantur, lauabantur vt ait Aristophanes. Probus apud Georgium Vallam scribit locum esse in Gallia. apud Aquinum colebatur etiam Diana. alij heluinam Cererem, id est flauam dictam putant, vt Scoppa & Brodæus miscellaneorum lib. 4. cap. 25. Est enim, inquit, heluinus color Columellæ, qui neque purpureus est, neque niger. Festus, & Cato, eum inter ruffum & album collocant, mihi sane ad flauum accedere proxime videtur: flauum tamen penitus esse non autumo. idem fortasse denotat heluinus. Iuuenal. Saty. 3.

A CVMIS.] Cumæ ciuitas amœnissima Lucaniæ ad mare iuxta Puteolos, condita ab his qui ex Colchide vrbe Euboæ venerunt.

ADIVTOR GELIDOS VENIAM CALIGATVS IN AGROS] Veniam caligatus in agros gelidos & frigidulos, id est velut audax miles adiutor Satyrarum, nisi illas mei pudet auxilij. Turnebus lib. 10. cap. 17. Caliga genus calceamenti militaris, vnde imperator Caligula Germanici filius cognomen accepit à caliga, quia in castris natus est. hinc Ausonius.

Caius cognomen caligæ cui castra dederunt.

A caliga dicti sunt caligati milites, alibi Poëta,

—offendere tot caligatos,

Millia clauorum.

Liber collegij Catharinæ manu exaratus auditor habet, alij vero legunt adiutor.

SATYRA

SATYRA IIII.

In Crispinum Ægyptium flagitiis coopertum,& ventris mancipium inuehitur, atque per occasionem in Domitiani crudelitatem & luxum.

ECce iterum Crispinus,& est mihi sæpe vocandus
Ad parteis,monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis,æger,solâque libidine fortis.
Delicias viduæ tantùm adspernatur adulter
Quid refert igitur quantis iumenta fatiget 5
Porticibus,quanta nemorum vectetur in vmbra,
Iugera quot vicina foro,quas emerit ædeis?
Nemo malus felix minimè corruptor,& idem
Incestus, cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos. 10
Sed tunc de factis leuioribus,& tamen alter
Si fecisset idem,caderet sub iudice morum.
Nam quod turpe bonis,Titio,Seióque,decebat
Crispinum. quid agas: cùm dira,& fœdior omni
Crimine persona est? mullum sex millibus emit 15
Æquantem sanè paribus sestertia libris,
Vt perhibent,qui de magnis maiora loquuntur.
Consilium laudo artificis,si munere tanto,
Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.
Est ratio vlterior,magnæ si misit amicæ, 20
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale expectes: emit sibi. multa videmus
Quæ miser,& frugi non fecit Apicius. hoc tu
Succinctus patria quondam Crispine papyro,
Hoc pretium squamæ? potuit fortasse minoris 25
Piscator,quam piscis emi. prouincia tanti
Vendit agros: sed maiores Apulia vendit,
Qualeis tunc epulas ipsum glutisse putemus
Induperatorem: cùm tot sestertia, partem
Exiguam,& modicæ sumtam de margine cenæ
Purpureus magni ructaret scurra Palati
Iam Princeps Equitum,magna qui voce solebat

Vendere municipes fracta de merce siluros!
Incipe Calliope, licet heic considere: non est
35 Cantandum, res vera agitur. narrate puellæ
Pierides, prosit mihi vos dixisse puellas.
Cùm iam semianimum laceraret Flauius orbem
Vltimus, & caluo seruiret Roma Neroni,
Incidit Hadriaci spatium admirabile rhombi
40 Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Impleuitque sinus: neque enim minor hæserat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptáque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti
Desidia tardos, & longo frigore pingueis.
45 Destinat hoc monstrum cymbæ, linique magister
Pontifici summo. quis enim proponere talem,
Aut emere auderet? cùm plena & littora multo
Delatore forent: dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,
50 Non dubitaturi fugitiuum dicere piscem,
Depastúmque diu viuaria Cæsaris: inde
Elapsum veterem ad dominum debere reuerti?
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum, pulcrúmque ex æquore toto,
55 Res fisci est, vbicumque natat: donabitur ergo,
Ne pereat, iam lethifero cedente pruinis
Autumno, iam quartanam sperantibus ægris.
Stridebat deformis hyems, prædámque recentem
Seruabat: tamen hic properat, velut vrgeat Auster.
60 Vtque lacus suberant, vbi quanquam diruta, seruat
Ignem Troianum, & Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper,
Et cessit: facili patuerunt cardine valuæ.
Exclusi expectant admissa opsonia patres.
65 Itur ad Atreidem. tunc Picens accipe dixit
Priuatis maiora focis, Genialis agatur
Iste dies, propera stomachum laxare saginis,
Et tua seruatum consume in sæcula rhombum.
Ipse capi voluit. quid apertiùs? & tamen illi
70 Surgebant cristæ. nihil est, quod credere de se
Non possit, cùm laudatur Dijs æqua potestas.

Sed deerat pisci patinæ mensura. vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille,
In quorum facie miseræ, magnæque sedebat
Pallor amicitiæ, primus, clamante Liburno, 75
Currite, iam sedit, raptâ properabat abollâ
Pegasus, attonitæ positus modo villicus urbi.
Anne aliud? tunc Præfecti, quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus, omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi 80
Iustitia: venit & Crispi iucunda senectus,
Cuius erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. maria, ac terras, populósque regenti
Quis comes vtilior? si clade, & peste sub illa
Sæuitiam damnare, & honestum afferre liceret 85
Consilium: sed quid violentius aure tyranni?
Cum quo de pluuiis, aut æstibus, aut nymboso
Vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem: nec ciuis erat, qui libera posset 90.
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hyemes, atque octogesima vidit
Solstitia. his armis, illa quoque tutus in aula.
Proximus eiusdem properabat Acilius æui
Cum iuuene indigno, quem mors tam sæua maneret, 95.
Et domini gladijs iam destinata: sed olim
Prodigio par est in nobilitate senectus:
Vnde fit, vt malim fraterculus esse Gigantum.
Profuit ergo nihil misero, quòd cominus vrsos
Figebat Numidas, albana nudus arena 100.
Venator. quis enim iam non intelligat arteis
Patricias? quis priscum illud miretur acumen
Brute tuum? facile est barbato imponere Regi.
Nec melior vultu, quamuis ignobilis ibat
Rubrius, offensæ veteris reus, atque tacendæ, 105.
Et tamen improbior Satyram scribente cinædo.
Montani quoque venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera, sæuior illo
Pompeius tenui iugulos aperire susurro: 110.

Et, qui vulturibus seruabat viscera Dacis
Fuscus, marmoreo meditatus prælia villa:
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ.
115 *Grande, & conspicuum nostro quoque tempore monstrum,*
Cæcus, adulator, dirúsque à ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axeis,
Blandáque deuexæ iactaret basia rhedæ.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
120 *In læuum conuersus: at illi dextra iacebat*
Bellua: sic pugnas Cilicis laudabat, & ictus,
Et pægma, & pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Vesento: sed vt fanaticus æstro
Percussus Bellona tuo diuinat, & ingens
125 *Omen habes, inquit, magni clarique triumphi.*
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Aruiragus. peregrina est bellua, cernis
Erectas in terga sudes? hoc defuit vnum
Fabricio, patriam vt rhombi memoraret, & annos.
130 *Quidnam igitur censes? conciditur? absit ab illo*
Dedecus hoc montanus ait: testa alta paretur
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ, subitúsque Prometheus.
Argillam, atque rotam citius properate: sed ex hoc
135 *Tempore iam, Cæsar, figuli tua castra sequantur.*
Vicit digna viro sententia: nouerat ille
Luxuriam imperij veterem, noctésque Neronis
Iam medias, aliámque famem cum pulmo Falerno
Arderet. nulli maior fuit vsus edendi
140 *Tempestate mea. Circeis nata forent, an*
Lucrinum ad saxum, Rutupinóve edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu,
Et semel adspecti littus dicebat echini.
Surgitur, & misso proceres exire iubentur
145 *Consilio: quos Albanam dux magnus in arcem*
Traxerat attonitos, & festinare coactos,
Tanquam de Geticis aliquid, toruísque Sicambris
Dicturus, tanquam diuersis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna.

Atque vtinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sæuitiæ: claras quibus abstulit vrbi
Illustrésque animas impunè, & vindice nullo.
Sed perijt, postquàm cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit Lamiarum cæde madenti. 150

IN SATYRAM IV.

Ecce iterum crispinus.] Crispinū dicit, qui in patrio solo Ægypti egentissimus fuit, & postea factus est magister equitum à Nerone. Martialis lib. 7. ad Crispinum.

Sic placidum videas semper Crispine tonantem,
Nec te Roma minus quam tua Memphis amet.

Et est mihi sæpe vocandus ad partes.] A me qui sæpe vitiis ipsius moueor vt illa describam. ad partes operis scilicet. metaphoram facit à comœdia, quia scenici ad partes suas solent vocari.

Monstrum nulla virtute redemptum a vitiis.] Id est, qui nulla virtute vitia potest tegere, vel quem nulla virtus commendat, sed omnibus vitiis inquinatus est.

Solaque libidine fortis.] Potens & pertinax in venere.

Delicias viduæ tantum aspernatur adulter.] Adulterio viduæ abstinet. nam pauperes tantum ad viduas accedebant lucri gratia. Martialis,

Nunc sectarii anus, ô quantum cogit egestas.

Vectetur. Id est, crebro vehatur.

Cum quo nuper vittata iacebat.] Vltimum Flauiæ gentis, Domitianum intelligit, ait Probus.

Sanguine adhuc vivo & cæt.] Vestales incesti damnatas à Numa Pompilio viuas suffodi institutum est. Liuius lib. 1. decadis 1. Vittata, vitta, fascia, qua veteres capita, vel crines, vel serta religabant. Tibullus.

Sit modo casta doce, quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Nemo malus foelix.] Si nemo malus felix, ergo Crispinus adulter & incestus, licet diues, non est fœlix.

Caderet sub iudice morum.] Damnaretur à Censore.

Nam quod turpe bonis.] Laudat comparatione Crispini bonos, non ea obiiciens quæ turpissima sunt.

Mullum sex millibus emit æquantem sane paribus sestertia libris.] Mullum piscem emit, qui tantum potuit habere in pondere quantum in pretio, tot millibus piscem emit, qui pendebat libras sex. sex millibus nummum siue sex sextertiis, hoc est centum quinquaginta aureis scutatis, siue coronatis, vt hodie loquimur. Asinius Celer septem millibus nummum mercatus est piscem mullū, sextertiis octo, vt tradit Macrobius, ad quem videtur alludere Poëta.

Præcipvam in tabvlis ceram. Id eſt primam, in qua hæredes primi ſcribuntur. Horatius,

Qui teſtamentum tradet tibi, cumque legendum
Abnuere & tabulas à te remouere memento.
Sic tamen, vt limis rapias, quid prima ſecundo
Cera velit verſu.

Latis specvlaribvs antro.] Lecticam mulieris, aut ſellam clauſam dicit. operiebantur loca domi voluptatis gratia ſpecularibus, & lecticæ quæ intus erant videre alios poterant, non tamen ipſæ videbantur. lecticam ſic tectam antrum vocat Poëta, Martia. lib. 7. ad crudelem amicum,

Hibernis obiecta notis ſpecularia puros
Admittunt flores & ſine fece diem.

Specularis lapis faciliore natura finditur in tenues cruſtas. Plinius lib. 38. cap. 20.

Apicivs.] De quo Seneca lib. de conſolatione ad Albinam matrem, Apicius noſtra memoria vixit, qui in ea vrbe aliquando ex qua Philoſophi velut corruptores iuuentutis abire iuſſi ſunt, ſcientiam popinæ profeſſus ſua diſciplina ſæculum infecit. cuius exitum noſſe operæpretium eſt, ære alieno oppreſſus, laqueo vitam finiuit, Martialis de Apicio,

Nil eſt Apici tibi guloſius factum.

Svccinctvs patria.] Veſtitus papyro Ægyptia, veſte facta ex membrana & pellicula papyri. papyrus multa in Ægypto naſcitur. eſt enim paluſtris frutex.

Scammæ.] Piſcis, à parte totum.

Apvlia.] Pars Italiæ. Glutiſſe, deuoraſſe.

Endoperatorem.] Imperatorem, Feſtus. Sidonius legit induperator.

Ne dandus populis princeps caput induperator.

Neronem vocat glutonem, vt Domitianus ſub nomine Neronis lateret.

Scvrra.] irriſor, paraſitus. ſcurra à ſequendo, quod & tenuioris fortunæ homines, & cæteri alioquin qui honoris gratia proſequerentur quempiam non antecedere, ſed ſequi ſoliti. Sextus Pompeius, Feſtus.

Princeps eqvitvm.] Magiſter equitum Romæ factus eſt. Vendere municipes, in eodem municipio natos. nam municipes propriè dicuntur, qui vnâ munere fungi debent. Varro lib. 5. de linguâ latinâ.

Fracta de merce Silvros.] Id eſt fracto vaſe Sardarum. ſiluri piſces ſunt Alexandriæ nullius pretij, quos inopes in Ægypto venditant.

Calliope.] Muſa cantandum. fingendum poëtico more.

Pvellæ pierides.] Hæ deæ dictæ ſunt Muſæ Pierides à Pierio monte, vt ſcribit Feſtus. Eſt autem Pierius mons Theſſaliæ, qui ad Macedoniam protenditur.

Flavivs vltimvs.] Domitianum intelligit, qui erat Flauiâ ex gente, quæ initio obſcura fuit. Suetonius in eodem Domitiano, Pubertatis ac

primæ adoleſcentiæ tempus tanta inopia, tantaque infamia geſſiſſe fertur, vt nullum vas argenteum in vſu haberet. Poëta vocat illum alterum Neronem.

ET CALVO SERVIRET ROMA NERONI.] Domitiano, qui caluus fuit, vt idem Suetonius refert. Auſonius. — *Securus*

Frater quem dixit caluum ſua Roma Neronem.

ADRIACI SPATIVM ADMIRABILE RHOMBI.] Piſcis formæ magnitudo deſcribitur, cum imperaret Domitianus alter Nero captus eſt piſcis Anconæ miræ magnitudinis qui mox Cæſari fuit exhibitus. Adriam inclitam ciuitatem fuiſſe memoriæ proditum eſt, à cuius nomine modica tranſpoſitione ſumpta, & ſinus appellatus eſt Adriaticus.

QVVM DORICA SVSTINET ANCON.] Ancon Græca ciuitas eſt, à Syracuſanis condita. Liuius decadis 5. lib. 1. Anconem velut cardinem haberent, quæque eſt prope Achylleiam & lacum Tymani. ſic vetus Poëta apud Soſipatrum Carſium lib. 4.

Vidi te Vlyſſes ſaxo ſternentem Hectora

Vidi tegentem Clypeo. Claſſem Doricam, id eſt græcam & Auſonius.

Nam glorioſum Græculus nomen putat,
Quod ſermo fucat Doricus.

Hoc eſt ſermo Græcus. ANTE DOMVM VENERIS.] Id eſt ante ædem veneris. impleuitque ſinus, id eſt retia.

QVOS OPERIT GLACIES MÆOTICA.] Quia in Ponto, & Mæotide palude capiuntur piſces immanes, qui tardi ſunt, quoniam quando gelat glaciei hærent. Dionyſius ſcribit Mæotidem paludem in ſuperiori Aſiæ parte eſſe RVPTAQVE SOLIBVS.] ſoluta à ſole glacie.

PONTIFICI SVMMO.] Ironia. Domitiano adiudicat deberi Rhombum inuiſæ magnitudinis. Magiſter. nauiculæ & retis.

ALGÆ INQVISITORES.] Inquiſitores viles. alga herba viliſſima prouerbium vilior alga. Horatius *cras folijs nemus,*

Multis & Alga littus inutili
Demiſſa tempeſtas ab Euro
Sternet.

Idem Horatius lib. 2. Satyra 5.

Et genus & virtus niſi cum re vilior alga eſt.

SI QVID PALFVRIO.] Palfurius Sura vt ait Probus, conſularis viri filius fuit, à Veſpaſiano ſenatu motus eſt. abuſus familiaritate Domitiani acerbiſſime partes delationis exercuit, quo interfecto, Senatu accuſante damnatus eſt. Suetonius in Veſpaſiano.

ARMILLATO.] Fuit hic quoque delator tempore Domitiani, vt ait idem Tranquillus.

NE PEREAT.] Fiſco ſcilicet, quod iam diſtrahi non poteſt.

SEDENTE PRVINIS AVTVMNO.] Id eſt hyeme, quo tempore maximę cadunt pruinę. pruinæ autem dictæ ſunt, quaſi perurinæ ab vrendo, quod in agris omnia vrant atque abſumant. Autumnus vna eſt ex 4. anni tempeſtatibus, de qua quamplurima ſcitu digna paſſim apud Celsũ,

& alios maioris abollæ authores reperies. & quia maiorum primus quisquis fuit ille meorum nomen ab hac insigni, & frugifera tempestate sumpsit, pauca de familia præfari licebit gentem nostram originem ducere ab Autumno Vindocino nobili viro census, & monumenta Ducis Vindocinorum testantur, cuius virtus ob præclara facinora nota fuit Ludouico vndecimo Regi Galliarum, à quo multis ornamentis donatus. tandem apud Vindocinos illius curam sacrorum, & morum finis vitæ comprobauit. At quia virtus maiorum posteris lumen est, hæc vobis filioli nota facere volui. repuerescere me cogit amor in vos, itaque iampridem & Satyras, & alia ludicra posueram, vt grauiora, & huic ætati conuenientiora curarem, nunc vt consulam studiis Michaëlis, & Petri filiorum, Iuuenalem amores olim, & delicias meas sumo interdum in manus, eiusque fabulas cum optimæ spei paruulis magna cum animi voluptate percurro: multa tenebricosa reperio, quæ pristinæ luci restituo, alia perperam intellecta interpretor, recondita patefacio, Iuuenalem à criticis defendo, & vbi pugnantia, aut contradicentia, tam in priscis quam recentioribus iuuenio, quod menti authoris conuenit sequor; quæ fortassis non ingrata erunt illius Poëtæ amatoribus: Itaque filioli antequam me careatis, volo vobis relinquere ex studiis quæ sequor aliquid, vt promoueamini ad ea persequenda cum vestra aduenerit ætas, opes me amisso inuenietis modicas, sed has ne speretis, sequimini vestigia mea, & virtutes maiorum, & ex his parate certiorem prouentum: nolite tantum discere literas humaniores, aut iurisprudentiam, quæ præcepta regendæ reipublicæ tradunt, diligite verum Dei cultum, humilitatem, patientiam, charitatem, contemplationem rerum diuinarum, & humanarum. has ego virtutes vos colere volo, cætera fœliciter succedent, si pij & amantes Dei fueritis. Nam omnes fere mortales virtutes quæstuosas amant, & regnum cæli percipere nequeunt, qui hi & in cœlesti fide positi toto desiderio terram quærunt. contemnite ergo voluptates, & diuitias; exosi sint vobis purpurati, & conchyliati, sequimini seminudos achoretas. Ego igitur ne intestatus animi, & propositi erga vos mei forte excederem, volui hoc veluti præscriptum, non tam huic libro, quam vobis propriè relinquere.

VRGEAT AVSTER.] Ventus calidus, quo pisces corrumpuntur.

VTQVE LACVS SVBERANT.] Id est cum prope lacus Albanenses iam venisset piscator; vel postquam piscator lacubus suberat, qui Albani vocantur.

IGNEM TROIANVM ET VESTAM COLIT ALBA MINOREM.] Romani Tullo Hostilio Rege cum deseruissent Albam, sacra sublata Romam transtulerunt. Id est, colit ritus Vestæ, in cuius templo ignis allatus à Troianis seruabatur. Virgilius,

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Vestam minorem dicit ad differentiam templi, quod Romæ à Numa Pompilio extructum fuerat nouum & rotundum, & maius, vt scribit Plutarchus in vita Numæ

AD ATRIDEM] Ad terrificum, & magnanimum Imperatorem Domitianum. Atridæ propriè sunt filij Atrei, Agamemnon & Menelaus. obsonia vero ea sunt, quæcumque pani & vino adduntur. Horatius,

Omnia conductis coemens obsonia nummis.

TVM PICENS ACCIPE DIXIT.] Piscator è prouincia, vbi piscis captus fuerat, inquit Probus. vel Picens è Piceno agro, piscator. hinc Eusebius in Chronicis, bellum aduersus Romanos, Picentes, Alarsi Pelignique mouerunt, Martialis.

Scribit in aduersa Picens epigrammata charta.

Picens non est nomen proprium hic, vt putat Brittannicus.

GENIALIS AGATVR ISTE DIES] Sicut is, quo genio, id est Deo Naturæ indulgeri solet. hoc est Natalis quo voluptati & libidini maximam operam dabant. Persius.

Indulge genio, carpamus dulcia nostrum est
Quod viuimus.

DIIS ÆQVA POTESTAS.] Imperatorum scilicet, ex historia est. nam tantæ stoliditatis & arrogantiæ fuit Domitianus, vt cum audiuisset se nominari Deum, per libellum statim edixerit ne alia præfatione appellaretur. Vnde Martialis lib. 5.

Edictum Domini Deique nostri.

PROCERES.] Optimates, proceres sunt principes ciuium, vel ciuitatis quasi procedes; vnde & capita trabium quæ eminent extra parietes, proceres dicuntur, eo quod primo procedant. hinc autem ad Primores facta translatio, quod à cætera multitudine prominent Isidorus, lib. 8. Originum.

MAGNAEQVE SEDEBAT PALLOR AMICITIAE.] Timor simulatæ amicitiæ imperatoriæ, vt Satyra prima.

— magni delator amici.

Id est imperatoris.

CLAMANTE LIBVRNO.] Seruo nomenclatore, qui ex Liburnia erat, senatum in consilium vocat.

RAPTA PROPERABAT ABOLLA PEGASVS.] Pegasus Albanus ciuis erat, & Iurisconsultus celeberrimus tempore Vespasiani, cuius fit mentio à Pomponio in titulo De origine iuris: ab eo Senatusc͡ōsultum Pegasianum factum est. Abolla vestis est militaris, & senatoria, recte Nonio.

ATTONITAE POSITVS MODO VILLICVS VRBI.] Attonitæ propter Domitiani scelera. Villicus, quia non erat ciuis Romanus., vel Villicus est is qui præpositus est rationibus rusticis, fructibus percipiendis, vniuersoque operi rustico; sed Poëtæ solent appellationem transferre ad præfectos quoslibet, vt Iuuenalis ad Præfectum vrbi scribens de Pegaso Iurisconsulto. hæc Cuiacius lib. 10. Obseruat. cap. 37. Villicus vrbi, eleganter sub Nerone vrbis præfecturam iacuisse dicit, quasi scilicet vrbs ipsa tantum esset villa principis, & villico traderetur. Quę Pithœi interpretatio satis acuta est, tamen Cuiacij sententia conuenien-

tissima est Poëtæ.

INERMI IVSTITIA.] Quamquam optimus, tum pro tempore omnia iniustè agenda credebat propter sæuitiam imperatoris.

VENIT ET CRISPI IVCVNDA SENECTVS.] Crispus municeps Viscelliensis, de quo Tacit. lib. 2. histor. Viuius Crispus pecunia, potentia, ingenio, inter claros magis quàm inter bonos. Ironice loquitur hîc Iuuen.

CVM QVO DE PLVVIIS.] Id est, de rebus friuolis & vsualibus.

VITAM IMPENDERE VERO.] Consumere vitam pro veritate.

OCTOGESIMA VIDIT SOLSTITIA.] Octoginta annos quibus in aula principum vixit. Solstitium dicitur, quòd eo die Sol sistere videatur. aut quod ad nos versum, proximum est solstitium. Varro. Etsi duo sint solstitia, æstiuum, & brumale in anno, tamen per solstitium absolute Poëta annum intelligit.

EIVSDEM PROPERABAT ACYLIVS AEVI.] Acylius consul secundus post Crispum sub Domitiano fuit, cuius cum filium iuuenem Nero occideret, ipsum Acylium seruauit, qui pœnas sentiret orbitatis, vt inquit Probus Vallæ: cuius etiam mentionem facit Plinius in epistola ad Vrsum. Britannicus tamen Poëtam loqui autumat de Acylio Glabrione, quem Domitianus, vt scribit Tranquil. supplicio affecit vnà cum Saluidieno & Orphito, quasi molitorem nouarum rerum, cui assentior.

PRODIGIO PAR EST IN NOBILITATE SENECTVS.] Prodigium creditur nobilis senex; Ecclesiast. cap. 10. Omnis potentatus breuis vita. prodigium porro adigendum, Nonius Marcellus. vel prodigium quod porro dicat, & futura prædicet.

VNDE FIT VT MALIM FRATERCVLVS ESSE GIGANTVM.] Ignobilis vt gigantes, qui filij terræ sunt. Persius,

— præsto est mihi Manius heres

Progenies terræ. [illegible]

Ideo sine patre, fraterculus, non optat molem corporis sed ignobilitatem: malle se ait fraterculum gigantis, hoc est terræ filium, quod obscurum significat, quàm nobilem patritiumque. Gigantes terra editi Polytianus Miscell. cap. 18.

VRSOS FIGEBAT NVMIDAS, ALBANA NVDVS ARENA VENATOR.] In lusorio Cæsaris iuuenis iste vrsos sæpe quasi venatu captos occidit. Albana dicit arena, nam in Albano Domitianus quotannis quinquatria Mineruæ celebrabat, feras conficiendas exhibuit, ipseque centenas varij generis confecit author Tranquillus. Numidas, id est Libycos. Sed hoc nihil profuit huic iuueni, quia has artes nouerat imperator.

FACILE EST BARBATO IMPONERE REGI.] Tarquinio superbo: prolixam enim barbam habuit. dicit ergo cinœdum non facile posse falli, & facilius eludi posse fortem. Turnebus lib. [illegible] cap. 21. vel facilius imposuit Brutus Tarquinio regi, quam hodie nostris si viueret. Nam

cum Brutus videret nobiles occidi ab auunculo Tarquinio Superbo, & fratrem inter cæteros, obtusi cordis se esse simulauit, vt sæuitiam vitaret.

RVBRIVS OFFENSAE VETERIS REVS.] Rubrius iste aliquando Tibiam Domitiani in pueritia corruperat, & verebatur ne pro hac culpa pœnas ab ipso reposceret Domitianus. Vetus Scholiastes. Britannicus tamen ingenue fatetur se ignorare de quo Rubrio loquatur Poëta, & tamen inficiatur quod ab aliis dicitur.

IMPROBIOR SATYRAM SCRIBENTE CYNOEDO.] Iste Rubrius ignobilis & humili loco natus, in aliis sua vitia reprehendebat, vt cynœdus qui scribit Satyram, vel improbior Cynædo Nerone, qui maledicentissimum carmen scripsit in Quintianum, appellauitque eum mollem & effœminatum.

MONTANI QVOQVE VENTER ADEST ABDOMINE TARDVS.] Montanus pinguis, & ventriosus est, acerbè venter potius quam ipse venit. Montanus Cursius Senator fuit tempore Domitiani, vt ait Tacitus historiarum lib. 4. Abdomine, id est sumine, abdomen à pube sursum versus ad præcordia porrigitur.

MATVTINO SVDANS CRISPINVS AMOMO. QVANTVM VIX REDOLENT DVO FVNERA.] Sudans orientali vnguëto mane sumpto, quantum duo funera, quia mortuorum corpora perungebantur. hinc Pers. noster loquens de herede irato,

Ossa inodora dabis.

POMPEIVS.] Ruffus delator tempore Domitiani fuit, de quo Plin. in epistola ad Cornelium Minutianum, quin etiam duo Consulares, Pompeius Ruffus & Libo frugi læserunt Norbanum testimonio tanquam apud iudicem sub Domitiano damnatus, & in insulam relegatus est.

TENVI SVSVRRO.] Alios defferens, Horatius lib.1. Ode.9.

Leuesque sub noctem susurri,
Composita repetantur horâ.

ET QVI VVLTVRIBVS SERVABAT VISCERA DACIS FVSCVS.] Cornelius Fuscus Procurator Dalmatiæ aderat, vigens ætate, claris natalibus à Domitiano Præfectus Prætorio factus, periit in Dacis infœlici pugna. Suetonius in Domitiano. Bene autem vulturibus. Nam exercitus auidè sequuntur, vt triduo ante aut biduo volare eo vbi cadauera futura sunt tradantur, Plinius lib. 10. & Diuus Ambrosius lib. Hexameron.

MARMOREA MEDITATVS PRAELIA VILLA.] Cornelius Fuscus in otio meditabatur prælia.

VEIENTO CATVLLO.]Catullus Messallinus liminibus orbatus inquit Plinius iunior, ingenio sæuo mala alia addiderat, non verebatur, non erubescebat, non miserebatur, non secus ac tela, quæ & ipsa cæca & improuida feruntur in optimum quemque contorquebat; ideo Poëta Catullum delatorem mortiferum vocat, pudentem vero vocat Veientonem. Veiento autem Fabricius erat vir senatorius.

Tacitus lib. 4. Annalium, carmina Bibaculi & Catulli referta contumeliis Cæsarum legunt.

QVI NVMQVAM VISÆ FLAGRABAT AMORE PVELLAE.] Cæcus enim amator fuit Catullus.

DIRVSQVE A PONTE SATELLES.] De numero mendicorum, nequitiam deduxit à ponte, in quo mendici sedent stipem petentes.

DIGNVS ARICINOS QVI MENDICARET AD AXES.] Mendicaret ad portam Aricinam, siue ad Cliuum, in Appia via post Albanum montem, vbi fuit Lucus Dianæ quo confluebat magna populi multitudo.

DEVEXAE IACTARET BASIA RHEDAE.] Qui cæcus rhedæ ferenti mulieres inclinatæ, & per cliuum descendenti oscula iactaret. Rheda, vehiculum, Nonius Marcellus.

CILICIS.] Nomen gladiatoris, cuius pugnas mira adulatione efferebat.

PEGMA.] Tabula & machina lignea in qua ludebatur, vel pegma est grandis & ingeniosa contabulatio, quæ sponte statim crescerer, statim subsideret. Prudentius,

Tabulis superne strata texunt pulpita
Rimosa, rari pegmatis compagibus.

Et Mart. lib. 1.

Hic vbi sydereus propius videt astra Colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via.

ET PVEROS INDE AD VELARIA RAPTOS.] Laudabat pueros residentes in pegmate, & finitis ludis raptos ad alta theatri velamina, vbi stuprabãtur. hinc Diuus Augustinus lib. 2, de ciuitate Dei, Veniebamus nos etiam aliquando adolescentes ad spectacula, ludibriaque sacrilegiorum spectabaimus arreptitios.

FANATICVS.] Qui præest fano, vel qui se concutit dum futura profatur.

OESTRO.] Furore: nascuntur interdum in extremis fauis apes grandiores, quæ cæteras fugant. Oestrus vocatur hoc malum, vt ait Plinius lib. 11. cap. 16.

BELLONA.] Minerua Iouis secundi filia, inuentrix bellorum fuit atque princeps, & ob id Bellona à nonnullis appellata, soror Martis. huius autem Deæ sacerdotes rem diuinam faciebant proprij sanguinis effusione, in qua afflati numine præsentia explicabant, & futura vaticinabantur. Bellõna à bello dicta est, Varro lib. 4. de lingua Latina.

INGENS OMEN HABES.] Portentum, & indicium; omen etiam auspicium prosperum. Virgilius Georgicon. 4.

Omine quo firmans animum sic incipit ipsa,

DE TEMONE BRITANNO EXCIDET ARVIRAGVS.] Id est capietur in bello, & è curru deiicietur: vel alludit ad currus falcatos, quibus vtebantur Britanni in præliis. Propertius.

Hyberníque Getæ, pictóque Britannia curru.

Atuiragus Rex Brittanniæ. temo est qui continet iugum in curru vel plaustro, hîc sumitur pro curru. Temo dictus est à tenendo, is enim continet iugum. Varro de lingua Latina lib. 6.

SVDE.] Spinas.

FABRICIO.] Veientoni. nam ipse est Fabricius, de quo Tacitus Annalium lib. 14. Fabricius, inquit Veienro, multa probrosa in patres, & Sacerdotes composuit iis libris quibus nomen codicillorum dederat.

ABSIT AB ILLO DEDECVS HOC.] A pisce vt conscidatur Montanus ait.

MONTANVS.] Ex proceribus gulæ, Montanus primus fert sententiam.

TESTA ALTA PARETVR.] Satyrice. figulus optimus vt Prometheus, qui ex limo terræ finxit hominem secundum quorumdam opinionem. his temporibus fuit Prometheus, hoc est, Argi regis, à quo homines factos esse commemorant: & reuera, cùm enim sapiens esset, feritatem eorum, & nimiam imperitiam ad humanitatem & scientiam transfigurauit, vt ait Eusebius in Chronicis.

NOCTESQVE NERONIS.] Suetonius in Nerone, Epulas e medio die ad mediam noctem protrahebat, Nero scilicet. ALIAMQVE FAMEM.] Hoc ideo dicit, quia calliditas cibi sequitur nimiam perpotationem. Ostrea, pisces sunt silicea testa inclusi. Martialis,

Ostrea tu sumis stagno saturata lucrino.

Ad saxum Lucrinum, hoc est, in lacu Lucrino. nam inde cœpit prima commendatio ostreorum. Martialis,

Ebria Baiano veni modo concha Lucrino,
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Circeis, id est in Campania iuxta Circeos. nam Circei opidum Campaniæ est.

RVTVPINOVE EDITA FVNDO.] Ex mari Britannico. Ruputinum oppidum est in Britannia, cuius meminit Lucanus lib. 6.

Aut vaga cum Thetis rutupinaue littora feruens
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

ECHINI.] Pisces sunt e genere cancrorum, quibus sunt spinæ pro pedibus. Hi pisces nauem ingentem detinent, Remoræ Latinis appellantur. Lucanus,

Non puppim retinens Euro tendente rudentes
In mediis Echineis aquis.

DE GETICIS TORVISQVE SICAMBRIS.] Getas Græci Traces opinati sunt, qui vtrumque Histri latus incolebant. Sed alij legunt Cattis, Catti sunt populi Germaniæ. Strabo lib. 7. Non sunt populi Galliæ vt existimat Valla & vetus Scoliastes. Calderinus vero Getis legit, sed Cattis magis conuenit menti authoris. Nam Domitianus expeditiones quatuor habuit, ynam aduersus Sarmathas, alteram aduersus Cattos, duas

aduersus Dacos, vt ait Eutropius. Sicambri vero Germaniæ populi sunt Menapiis finitimi. Strabo lib. 4. hos populos domuit Domitianus.

ANXIA PRÆCIPITI VENISSET EPISTOLA PENNA.] Quando victoriæ nunciabantur laureata erat epistola. hinc Iulius Capitolinus in Maximinis, vbi comperit consensisse exercitum sibi & collegis suis, occisos autem esse Maximinos statim dimissis Germanorum auxiliis, quæ sibi contra hostem parauerat Romam, laureatas litteras misit, quæ in vrbe ingētem lætitiam fecerunt. quando aliquid aduersi nunciabatur, penna adhibebatur vt inquit verus Scoliastes: quæ vero de epistolis ab auibus allatis dicunt, Caldermus & Brittannicus nihil faciunt ad mentem authoris. Nec ea quæ Cælius Curio huc adfert de cursoribus & tabellariis, qui pennas in capite gestare consueuerant. vel præcipiti penna, id est Victoria quæ penna significabatur, hinc Ausonius.

Tu quoque ab ætherio præpes victoria lapsu.

Præpes est aligera pennata, olim pingebatur fingebaturq; illa Dea Victoria Drepanus, recta profecto Germana illa pictorum Poëtarumque cōmenta, Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium, non cursus est, sed volatus, vel præcipiti penna, id est celeriter.

POSTQVAM CERDONIBVS.] Id est plebeis & ignobilibus. cerdo est proprie turpis lucri cupidus. vnde Persius.

Respue quod non es, tollat sua munera cerdo.

Et Martialis in Cerdonem.

Das gladiatores sutorum Regule Cerdo,
Quodque tibi tribuit subura sicca rapit.

HOC NOCVIT LAMIARVM CAEDE MADENTI.] Hoc nocuit vt occisis nobilibus, & à Cerdonibus timeretur, id est dum sæuit in nobiles illos passim necando, inuentus est qui eum occideret. Sed postquam ignobiles & Cerdones occidere inuentus est interēptoҁ. nam à Stephano Domicillæ Flauiæ procuratore, Parthenioque cubiculario cæteris conspiratis cunctantibus est occisus in cubiculo, vt ait Tranquillus. Lamiarum, id est nobilium, Lamias posuit pro nobilibus. nam Lamiæ genus duxerunt ab Lamo: qui, vt tradit Homerus in Odyssea, Caietæ regnauit. Silius Italicus.

Et regnata Lamo Caieta.

Et Horatius lib. 3. carminum,

Æli vetusto nobilis ab Lamo.

Familia Lamiarum apud Romanos nobilitate insignis fuit. Suetonius in Domitiano. Interemit scilicet Domitianus Ælium Lamiam ob suspiciosos quidem verum, & veteres, & innoxios iocos quod post abductam vxorem, laudanti vocem suam, heu taceo dixerat. madenti cæde, Domitiano sanguine nobilium madenti.

SATYRA V.

Ad Trebium amicum, quem monet vt à vita parasitica se subducat, cùm ob multa alia, tum maximè ob contumeliam & auaritiam diuitum.

SI te propositi nondum pudet, atque eadem est mens,
Vt bona summa putes, aliena viuere quadra:
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset,
Quamuis iurato metuam tibi credere testi. 5
Ventre nihil noui frugalius: hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit aluo.
Nulla crepido vacat? nusquam pons, & tegetis pars
Dimidia, breuior? tantine iniuria cenæ?
Tam ieiuna fames: cum possis honestius illic 10
Et tremere, & sordes farris mordere canini?
Primo fige loco, quod tu discumbere iussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ, cibus: imputat hunc Rex,
Et, quamuis rarum, tamen imputat. ergo duos post 15
Si libuit menseis neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto,
Vna simus ait. votorum summa. quid vltra
Quæris: habet Trepius propter quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere, sollicitus, ne 20
Tota salutatrix iam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri serraca Bootæ.
Qualis cena tamen? vinum quod succida nolit
Lana pati: de conuiua Corybanta videbis. 25
Iurgia proludunt: sed mox & pocula torques.
Saucius, & rubra deterges vulnera mappa.
Inter vos quoties, libertorumque cohortem,
Pugna Saguntina feruet commissa lagena:
Ipse capillato diffusum Consule potat, 30
Calcatáque tenet bellis socialibus vuam,
Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.

Cras bibet Albanus aliquid de montibus, aut de
Setinis, cuius patriam, titulumque senectus
35 *Deleuit multa veteris fuligine testæ:*
Quale coronati Thrasea, Heluidiusque bibebant,
Brutorum, & Cassi natalibus. ipse capaces
Heliadum crustas, & inæqualeis beryllos
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum.
40 *Vel si quando datur: custos affixus ibidem,*
Qui numeret gemmas, vnguesque obseruet acutos.
Da veniam: præclara illic laudatur iaspis.
Nam Virro, vt multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis: quas in vaginæ fronte solebat
45 *Ponere zelotypo iuuenis prælatus Hiarbæ.*
Tu Beneuentani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor, ac iam
Quassatam, & rupto poscentem sulfura vitro.
Si stomachus domini feruet vinóque, ciboque,
50 *Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.*
Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam. tibi pocula cursor
Getulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
55 *Cliuosæ veheris dum per monumenta Latinæ.*
Flos Asiæ ante ipsum pretio maiore paratus,
Quàm fuit & Tulli census pugnacis, & Anci:
Et ne te teneam, Romanorum omnia Regum
Friuola. quod cùm ita sit, tu Getúlum Ganymedem
60 *Respice, cùm sities. nescit tot millibus emtus*
Pauperibus miscere puer: sed forma, sed ætas
Digna supercilio. quando ad te peruenit ille?
Quando vocatus adest calidæ, gelidæque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti.
65 *Quodque aliquid poscas, & quòd se stante recumbas.*
Maxima quæque domus seruis est plena superbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidæ iam mucida frusta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum.
70 *Sed tener, & niueus, mollique siligine factus*
Seruatur domino: dextram cohibere memento.

Salua

Salua sit artocopi reuerentia: finge tamen te
Improbulum, superest illic qui ponere cogat.
Vix tu consuetis audax conuiua canistris
Impleri, panisque tui nouisse colorem.
Scilicet hoc fuerat, propter quod sæpe relicta 75
Coniuge, per montem aduersum, gelidásque cucurri
Esquilias, fremet sæua cùm grandine vernus
Iupiter, & multo stillaret penula nimbo.
Adspice, quàm longo distendat pectore lancem, 80
Quæ fertur domino squilla, & quibus vndique septa
Asparagus, qua despiciat conuiuia cauda,
Cùm venit excelsi manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ouo
Ponitur, exigua feralis cena petella. 85
Ipse Venafrano piscem perfundit: at hic, qui
Pallidus offertur misero tibi caulis, olebit
Laternam. illud enim vestris datur alueolis, quod
Canna Micipsarum prora subuexit acuta:
Propter quod Romæ cum Boccare nemo lauatur, 90
Quòd tutos etiam facit à serpentibus atris.
Mullus erit domino, quem misit Corsica, vel quem
Taurominitanæ rupes, quando omne peractum est,
Et iam defecit nostrum mare, dum gula sæuit
Retibus assiduis penitus scrutante macello 95
Proxima, nec patitur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum prouincia: sumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni Murena datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo: nam dum se continet Auster, 100
Dum sedet, & siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longæ cognata colubræ,
Aut glacie adspersus maculis Tiberinus, & ipse
Vernula riparum pinguis torrente cloaca, 105
Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburæ.
Ipsi pauca velim, facilem si præbeat aurem.
Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat
Largiri. namque & titulis, & fascibus olim 110

Maior habebatur donandi gloria: solum
Poscimus, vt cenes ciuiliter. hoc face, & esto:
Esto, vt nunc multi, diues tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par
115 *Altilis, & flaui dignus ferro Meleagri*
Fumat aper: post hunc raduntur tubera. si ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cenas
Maiores, tibi habe frumentum, Aledius inquit,
O Libye: disiunge boues, dum tubera mittas.
120 *Structorem intereà, ne qua indignatio desit,*
Saltantem spectas, & cheironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia: nec minimo sanè discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.
125 *Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,*
Et ponère foris, si quid tentaueris vnquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina, quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula? quis vestrum temerarius vsque adeo, quis
130 *Perditus, vt dicat regi bibe: plurima sunt, quæ*
Non audent homines pertusa dicere læna.
Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Diis
Et melior fatis donaret homuncio: quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus!
135 *Da Trebio, pone ad Trebium. vis frater ab illis*
Ilibus? ô nummi, vobis hunc præstat honorem,
Vos estis fratres. dominus tamen, & domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi paruulus aula
Luserit AEneas, nec filia dulcior illo.
140 *Iucundum, & carum sterilis facit vxor amicum.*
Sed tua tunc Mycale pariat licet, & pueros treis
In gremium patris fundat, simul ipse loquaci
Gaudebit nido: viridem thoraca iubebit
Afferri, minimasque nuces, assemque rogatum
145 *Ad mensam, quoties parasitus venerit infans.*
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino: sed qualem Claudius edit,
Ante illum vxoris, post quem nil amplius edit.
Virro sibi, & reliquis Virronibus illa iubebit

Poma dari, quorum solo pascaris odore: 150
Qualia perpetuus Phæacum Autumnus habebat,
Credere quæ possis surrepta sororibus Afris:
Tu scabie fueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parma, & galea, metuens que flagelli
Discit ab hirsuta iaculum torquere capella. 155
Forsitan impensæ Virronem parcere credas.
Hoc agit, vt doleas. nam quæ comœdia, mimus
Quis melior, plorante gula? ergo omnia fiunt,
Si nescis, vt per lacrymas effundere bilem
Cogaris, pressoque diu stridere molari. 160
Tu tibi liber homo, & regis conuiua videris:
Captum te nidore suæ putat ille culinæ:
Nec malè coniectat. quis enim tam nudus, vt illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro? 165
Spes bene cenandi vos decipit. ecce dabit iam
Semesum leporem, atque aliquid de clunibus apri.
Ad nos iam veniet minor altilis: inde parato,
Intactoque omnes, & stricto pane tacetis. 170
Ille sapit, qui te sic vtitur. omnia ferre
Si potes, debes: pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati. his epulis, & tali dignus amico.

IN SATYRAM V.

ALIENA VIVERE QVADRA.] Alienâ mensâ. quadra est propriè frustum panis quadratum. Martialis in Pontiam, quid sit quadra ostendit.

Cum mittis turdumque mihi quadramque placentæ.

SARMENTVS NEC VILIS GALBA.] Sarmentus Scurra Cæsaris natione Tuscus Eques Romanus, Galba alius Scurra ignobilis. Martialis in Cecilium,

Qui Galbam salibus tuis, & ipsum
Posses vincere Tettium Caballum.

NVLLA CREPIDO.] Est ora terræ, quàm aqua aluit, ex hoc appellata quod ibi allidens côcrepitet. vel est locus eminens, Seneca ad Lucilium.

Itaque caligabat,si vastam altitudinem in crepidine eius cõstitutus despexerit,hoc est in summitate. ora id est pons,vbi mendices.

TEGETIS PARS.] Priuatæ sportæ aut Tegetis. pars de Cirpo factę Probus.Martialis in Cinnam.

Sed ingranatis tegetibusque concepti.

Vel proseuchæ pars.vetustate minutæ.

FARRIS.) Panis sordidus canum est. vel sortes caninas intelligit. nam caninæ furfures de farre,à cibo canum vocatæ sunt, vt Festus ait.

IMPVTAT HVNC REX.]. I. Diues.nam diuites regnant.

TERTIA NE VACVO CESSARET CVLCITA LECTO.) Toro apud veteres discumbentes in lectulis mãducabant. Tres autem lectuli erant,in quibus discumbebant,vnde triclinia appellantur, vt ait Petronius Arbiter.Horat.lib.1. Saty.1.

Sæpè enim tribus videas cœnare quaternos.

Mens Poetę est,ne in 3.lecto desit qui discumbat culcita, quod tomento cọnculcatur appellata.Festus. Et Cicero 4. Tusculanarum, Eripiamus huic ægritudinem , quo modo collocemus inculcita plumea pialtriam.& Martialis.

Lingonicis agedum tumeat tibi culcita lanis.

Calderinus legit culcitra , Britannicus verò variat. nam scribit culcita, & culcitra. Sed malim legere culcita, nixus authoritate codicis manu exarati Collegii D.Catharinæ.

HABET TREBIVS.] Nomen amici Poetæ, qui parisiticam vitam sectabatur,ad quem hanc Satyram scribit. Ligulam,partem quandam in calceis scribit esse Festus ad similitudidem linguæ exertæ hanc festinantes dimittebant.

PEREGERIT ORBEM.] Ne salutauerint omnes diuites,quos per orbem, hoc est circulum adibant.

SIDERIBVS DVBIIS.] In crepusculo,dubia luce,cum sydera certant cum lucę.

SERRACA BOOTE.] Plaustra Septentrionis,quæ tempore frigido videntur,aut ante crepusculum. Bootes,Arcturus. pigri tarde se mouentis.Martialis ad Luciferum,

—placidi numquid te pigra Boote
Plaustra vehunt lento quod nimis igne venis.

Alij codices habent sarraca,quibus adstipulor.Cicero in Pisonem.Cum tibi tota cognatio in sarraco aduehatur , incidisse videtur in sordidum nomen.

In Marco Antonio Philosopho Capitolinus, tanta autem pestilentia fuit, vt vehiculis cadauera sint exportata. Sarracisq; Arcturus.stella in signo Bootæ post caudam maioris visæ, cuius ortus & occasus tempestates facit.Horat.

Nec sæuus Arcturi cadentis impetus.

Claud. — *vetito se proluit arctos.*
Æquore præcipitat pigrum formido Bootem.

VINVM QVOD SVCCIDA NOLIT LANA PATI.] Tonsuræ tempus est inter æquinoctium vernum,& solstitium cum sudare cœperunt oues, à quo sudore recens lana succida, tonsa est appellata, vt ait Varro lib. 2. de re rustica, Tonsas recentes eodem die perungunt vino & oleo, nec non admixta cera alba,& adipe suillo. Tam vile tibi apponitur vinum, vt ne oues quidem lauari paterentur. quæ hîc dicũt Calderinus & Brittannicus aliena sunt à mente authoris. Ego verò assentior Curioni, qui authoritate Dioscoridis probat, veteres consueuisse vino aspergere lanas & oues.

DE CONVIVA CORYBANTHA VIDEBIS.] Sic enim vinum malum mentem turbat, quomodo lana tincta mutatur. tam, inquit, putabis de conuiua propter importunam ministrantium vexationem insanum & furentem esse, quales sunt Corybantes Cybeles, à iactatione capitis ita dicti.

IVRGIA PROLVDVNT.] Tanquam proludia præcedunt iurgia, altercationes & conuitia.

RVBRA DETERGES VVLNERA MAPPA.] Cruentata mappa, mantili. mappæ conuiuiis,& epularum appositarum sunt, quasi manupæ, atque ob id nominatæ, Isidorus.

PVGNA SAGVNTINA FERVET COMMISSA LAGENA.] Ciuitas Hispaniæ est Saguntus citra vltra Iberum in radicibus montis, qui Hispanos à Celtiberis diuidit, in cuius territorio malum vinum nascitur. Saguntina lagena, id est fictili vase. Mart. lib. vltimo.

Sume Saguntino pocula ficta luto.

IPSE CAPILLATO DIFFVSVM CONSVLE POTAT.] Quod diffusum est consule capillato, id est eo tempore quo consules intonsi erant. vina à consulibus nomen accipiebant. Martialis lib. 8. ad Flaccum,

Defluat & lento splendescat turbida limo
Amphora centeno consule facta minor.

Et Horatius, alloquens amphoram.

O nata mecum consule Manlio.

Vinum commendat vetustas, quod annuere videtur hîc Poëta, pendebat è vasis vinariis tabella, in quâ teste Galeno, vini ætas scripta erat. quo tempore, quibusve consulibus conditum esset. Brodæus lib. 1. cap. 3. Miscellan.

CALCATAMQVE TENET BELLIS SOCIALIBVS VVAM.] Potat vinum Oppinianum seruatum in multa sæcula, quod factum est tempore belli socialis, cuius author fuit Marcus Liuius Drusus authore Liuio, lib. 70.& 71. Nam cum Senatus impotentiam equestris ordinis, in officiis exercendis ferre nollet, omni vi niti cepit, vt ad se iudicia transferrentur. Marcus Liuius Drusus causam senatus suscepit, itaq; vt maioribus viribus eam tueretur, socios & Italicos populos sollicitauit spe ciuitatis Romanæ, iisque adiuuantibus per vim legibus Agrariis frumentariisque latis, legem quoque iudicialem tulit, vt æqualia iudicia penes senatum,& equestrem ordinem essent: cum deinde promissa ciuitas sociis præstari non posset, irati Itali defecerunt, propter quod Marcus Li-

uius Drusus Senatui inuisus est factus, velut socialis belli author, incertum à quo domi est occisus.

CARDIACO AMICO.] Illi qui cordis dolorem patitur. cardiacis optimo vino succurritur. Cyathus pendet drachmas decem, vt ait Plinius.

CETINIS.] Vinum de montibus Albanis, ita vetus vt non possit ex superscriptione antiquitatis deleta cognosci quanti sit temporis. Vinum Cetinum dictum est à Cetia ciuitate Campaniæ.

QVALE CORONATI THRASEÆ HELVIDIVSQVE BIBEBANT, BRVTORVM ET CASSII NATALIBVS.] Libertatis amatores Bruti & Cassij natales celebrabant. Coronati, qui Cæsarem in Senatu occiderunt. Suetonius, & Tacitus.

ÆLIADVM CRVSTAS ET INAEQVALES BERILLOS] Vasa, quæ ex electro fiebant. electrum autem fit ex lacrymis. Æliadum, id est filiarum Solis, & sororum Phaëtontis, quæ cum impatienter mortem fratris ferrent, in arbores mutatæ sunt, ex quibus distillat electrum. Ouidius lib. 1. de Ponto.

Vos quoque felices quarum clamantia fratrem,
Cortice velauit populus ora nouo.

Idem Metamorphoseon lib. 2.

Inde fluunt lacrymæ stillataque sole rigescunt
De ramis electra nobis.

Et Martialis lib. 4.

Flentibus Heliadum ramis, dum vipera serpit.

Poëta designat Electrum, ex quo vasa potoria magni pretij fiebant, & vbi argenti quinta portio inerat electrum vocabatur, vt ait Plinius lib. 33. cap. 4. Berillus & lapis pallidus, & transparēs, quem gignit India, qui probatissimus est, viriditatem maris imitatur. inæquales dixit Poëta Berillos, quia vt ait Plinius lib. 32. Sexangula figura poliebantur, vt color repercussu angulorum appareret.

VIRRO TENET PHYALAS.] Pateras ex gemmis illis factas. Virro est nomen fictum diuitis. per aurum vero aureum poculum intelligitur.

IASPIS.] Lapillus pretiosus. viret, & sæpe transluцet Iaspis.

ZELOTYPO IVVENIS PRAELATVS HIARBAE.] Iuuenis Princeps Æneas, quem Dido Regina Hiarbæ Regi Libyæ prætulit, vt ait Virgilius 4. Æneidos. Æneas in gladij capulo gemmas ferebat inquit Poëta, non in poculis, qui ita diligit, vt sollicitus sit ne quis amore suo fruatur, Zelotypus est.

TV BENEVENTANI SVTORIS NOMEN HABENTEM SICCABIS CALICEM NASORVM QVATVOR.] Beneuentum vrbs Italiæ est. Martialis.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe, sed nasus longior ille fuit.

Cum haberet nasos aliquot calix, vnum aliquem ex his curtatum fuisse ostendit Martialis.

Cum quatuor nasos oblongos haberet ille Vatinianus calix: tamen longiorem iis fuisse Vatinij nasum. notat callide cum vt acrem & saga-

cem inquisitorem criminatoremque. de poculo illo Vatiniano loquitur hic Iuuenalis, quod quatuor rostra habebat.

ET RVPTO POSCENTEM SVLPHVRA VITRO.] Nam vitrea rupta sulphuratis permutantur. Geticis pruinis apud quos plurimæ, & diutissimæ sunt niues. decocta, id est niue refrigerata: Neronis inuentum.

CVRSOR GETVLVS.] Niger vt Getulus. Cursor inter seruos de Getulia Affricæ regione.

AVT NIGRI MANVS OSSEA MAVRI.] Macilenta manus, in qua ossa, & nerui videntur. nam Æthiopi manus & reliqua membra sunt exilia, & sine pulpa.

ET CVI PER MEDIAM NOLIS OCCVRRERE NOCTEM.] Hinc Imperator Septimius Seuerus ex Æthiopis cuiusdam occursu ingruere sibi mortem concepit authore Ælio Spartiano in vita Seueri. Bruto & Cassio in aciem prodituris obuius Æthiops mortem prędixit, vt ait Plutarchus in Bruto.

CLIVOSAE VEHERIS DVM PER MONVMENTA LATINAE.] Per sepulchra Latinæ viæ inæqualis vel dependentis.

FLOS ASIAE.] Puer Pincerna formosissimus ex Asia idem & pretiosissimus pluris emitur, quam fuit census Tulli Hostilij tertij regis Romanorum, & Marci Anci 4. regis, Romamanorum bellicosi. FRIVOLA.] Sunt propriè vasa fictilia quassata. vnde dicta verba friuola, quæ minus sunt fide subnixa, vt scribit Festus. comparatione serui pretiosi omnia Romanorum sunt friuola, tantum impendunt in seruis emendis, vt facultates regum sint inferiores.

GETVLVM GANYMEDEM.] Pincernam nigrum Ganymedem Ironicos vocat. Ganymedes fuit delicatissimus Trois Regis, & Calliroës filius, quem Iupiter venantem conuersus in Aquilam tulit in cœlum, mensæque suæ remota Hebe filiâ adhibuit pocillatorem, vt ait Eusebius in Chronicis.

DIGNA SVPERCILIO.] Quia pulcher & iuuenis, ideò superbit.

CALIDÆ GELIDÆQVE MINISTER.] Calidæ aquæ & frigidæ minister.

FRVSTA.] Id est fragmenta mucida, mucore contracto. Ex vetustate frustum vocatum, quod capiatur à frumine. est enim frumen summa pars gulæ. Isidorus de iis quæ ad victum. cap. 2.

QVAE GENVINVM AGITENT.] Genuinum dentem, à genis pendentem. Inter molares fortissimum sic dictum, quod à genis pendeat, arbitratur Festus. Horat.

Si quis atro dente.
Me petiuerit,
Inultus vt flebo puer.

MOLLIQVE SILIGINE FACTOS.] Forma siliginea, quæ mollis est. Siligo est species tritici albi, ex siligine lautissimus panis fit, vt ait Seneca in Epistola de abstinentia & temperantia & Plin. lib. 18.

ARTOCOPI.] Panis cum labore facti. alij legunt artoptæ, vt vetus

Scholiastes. est nomen pistoris inquit, vel vasis in quo panis coquitur. in codicibus emendatissimis legitur artoptæ, non artocopi, vt inquit Probus. canistris consuetis, id est consueto pane. exquilias vnus ex septem collibus vrbis.

VERNVS IVPITER.] Id est, aër verni temporis.

PENVLA.] Exterior vestis villosa. Penula est vestis, quam supra tunicam accipimus. non quærenda est homini penula, qui habet virtutem imbri oppositam, inquit Varro.

SQVILLA.] Diuiti squilla lautissimus piscis apponitur. Mart.

Cæruleus nos liris amat quem sylua maricæ
Protegit hinc squillæ maxima turba sumus.

ASPARAGI.] Herbæ, quod asperis virgultis legantur.

CONVIVIA CAVDA.] Quia caudæ horum pisciculorum optimi erant saporis, vt ait Suidas. nam harum cupiditate captus Apicius nauigauit in Affricam.

DIMIDIO CONSTRICTVS CAMMARVS OVO PONITVR EXIGVA FERALIS COENA PATELLA.] Pisciculus de genere locustarum vilis saporis, clienti datur. Martialis lib. 2. in candidum.

Cum color in nostra cammare lance rubes.

Cammari admixtis ouis conquebantur. Sophron. Rond. cap. de Squilla legit Gammarus.

FERALIS COENA PATELLA.] Appositio est. i. qualis cœna mortuis dabatur. Apulei. 4. Florid. Exclamauit viuere hominem, procul ignes amolirentur, cœnam feralem à tumulo ad mensam referrent: vbi oua videntur translatitia, nono die cœna funebris epulæque fiebant. hinc D. Augustinus in Genesim, Nescio vtrum inueniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum nouem dies, quod apud Latinos nouemdial appellant.

IPSE VENAFRANO.] Bono oleo ciuitatis Campaniæ. Nam Venafrum est vrbs Campaniæ abundans oleis. Mart.

Hoc tibi Campani sudauit Baccha Venafri,
Vnguentum quoties sumis & istud olet.

OLEBIT LATERNAM.] Id est præ se feret odorem olei, quod quia vilissimum & insipidissimum, in laternis comburi debeat.

ALVEOLIS] Vasculis, in quibus manducatis. alueoli lances, paropsides. Turnebus libro 24. cap. 4.

CANNA MYCIPSARVM.] Nauicula facta ex canna, id est arundine Micipsarum, Numidarum, Aphrorum. Micipsa enim Massinissæ filius ibi regnum solus obtinuit, vt ait Salustius. allusio est ad cannas. nam ex Numidia Romam vehitur canna, quia vt ait Plinius lib. 8. naues fiunt vtiles in Nilo ex papyro, & scyrpo, & arundine. Mela & Solinus.

ROMÆ CVM BOCCHARE NEMO LAVATVR.] Cum Numida aliquo, eorum regem pro quocumque posuit, Liuius Decadis 3. lib. 9. Bocchar ea tempestate rex Maurorum erat.

TVTOS FACIT A SERPENTIBVS ATRIS.] In Mauritania oleum adeo tetri

terri est odoris, vt serpentes etiam illud non ferant, quod oleum dabant clientibus.

CORSICA.] Insula in mari Ligustico, sed Tusco propior. Plinius lib. 3. cap. 6.

TAVROMINITANAE RVPES.] Oppidum Siciliæ, vt ait Solinus.

MACELLO SCRVTANTE.] Pro piscatore posuit, cum sit locus in quo obsonia venduntur, vt ait Donatus. Martialis lib. 10. ad Maternum iurisperitum.

Omnis ab Vrbano venit ad mare cœna macello.

LENAS.] Captator hæreditatis. AVRELIA.] Mulier quæ distrahebat pisces, orba, & opulenta anus.

IN CARCERE.] In antro Æolio. Virgil.

— illa se iactet in aula

Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

TEMERARIA LINA CARYBDIM.] Piscatores temerarij contemnunt Carybdim, voraginem quæ est in mari Siculo. Horat.

Quanta laboras in Carybdi.

Et Tibullus.

Cum canibus rapidas inter freta serperet vndas,

Nec violenta suo consumpsit more carybdis.

COGNATA COLVBRAE.] Similis, vel cognata, quasi eiusdem generis Plinius lib. 9. cap. 23. murenas in terram elapsas serpentibus commisceri dicit. Poëta vero credit serpentes coire cum anguillis.

VERNVLA RIPARVM.] Alumnus ripæ, natus verno tempore in rippa. TORRENTE CLOACA.] Id est effluente in Tyberim latrina. Lupum piscem intelligit varij coloris, quem ideo lupum vocant, quia alios pisces comedit.

CRYPTAM PENETRARE SVBVRAE.] Meatum absconsum & subterraneum, quo sordes defluunt in Tyberim. Seneca epist. 58. à ceromate nos apte excepit in Crypta Neapolitana, nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius, quæ nobis pręstant, non vt per tenebras videamus, sed vt ipsas.

A SENECA.] Viro bono, qui à Nerone, cuius præceptor fuerat interfectus est. Tacit. lib. 15. quæ scripsit in hunc locum, & passim in Iuuenalem vetus interpres à Pytœo editus, reperies apud Georgium Vallam, sub nomine Probi.

QVAE PISO BONVS.] Piso Calphurnius magnificentissimus vixit, meritis subleuare inopes ex vtroque ordine solitus. Tacit. Annalium lib. 15. Tum fauore in Cn. Pisonem. is Calphurnio genere ortus, ac multas insignesque familias, paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem, aut species virtutibus similes, namque facundiam. tuendis ciuibus exercebat, largitionem aduersus amicos, & ignotis quoque comi sermone & congressu. Petimus inquit Poëta, non vt sis alter Seneca, aut Piso vir liberalissimus, sed tantum vt

æqualiter cum conuiuis bibas & edas. COTTA.] fuit etiam vir liberalis, de quo Tacitus Annalium lib. 6.

TITVLIS ET FASCIBVS.] Honoribus & dignitatibus. Romani magis dandis quàm accipiendis beneficiis amicitias parabant.

ALTILIS ET FLAVI DIGNVS FERRO MELEAGRI APER.] Aper dignus ferro Meleagri fortissimi viri, qui aprum à Diana irata Calydoniæ agris immissum interemit. Martialis,

Summa tuæ Meleagre fuit, quæ gloria famæ,
Quantula Carpophori portio fusus aper.
Ille & præcipiti venabula condidit vrso.

Altile, est quod alitur eo consilio vt saginetur. hinc Diuus Gregorius Homilia 38. in Matthæum, Altilia enim saginata dicimus, ab eo enim quod est alere, altilia quasi alitilia vocamus.

TVBERA.] Quia tonitruis dicuntur nasci, vt cocleæ in genere fungorum numerantur, Brodæus miscellaneorum lib. 4. cap. 2. Martialis,

Rumpimus altricem tenero de vertice terram,
Tubera boletis, poma secunda sumus.

ALEDIVS.] Gulosus, & luxuriosus.

DISIVNGE BOVES.] Per me inquit, frumentum non seres, nam ex Liba frumentum mittebatur. hinc Sidonius,

Arma Chalybis, frumenta Libes.

STRVCTOREM.] Parandæ mensæ ministrum.

CHEYRONOMONTA VOLANTI CVLTELLO.] Manus ducentem & artificiose incidentem omnia intelligit, est Græcum verbum, quod significat eum qui corpore & manibus gesticulatur, vt ait Athenæus, lib. 1.

DVCERIS PLANTA VELVT ICTVS AB HERCVLE CACVS.] Filius Vulcani, qui boues Herculis venientis ex Italia abegerat. Ictus. occisus. Virgil. Æneid. lib. 5. & Martialis lib. 5.

— tacita qui fraude solebat,
Ducere nec rectas Cacus in antra boues.

Et Propertius.

Hic ne certa forent manifestæ signa rapinæ
Auersos cauda, traxit in antra boues.

HISCERE.] Est propriè loqui. Au. armorum iudicio hem vereor plusquam fas est captiuum hiscere. sed assentior Britannico, qui ait hiscere significare loqui, & os aperire ad loquendum, cum descendat à verbo hio, hias. alij dicunt hiscere idem esse quod mutire.

TANQVAM HABEAS TRIA NOMINA.] Quia nobilis es. nam nobiles liberius loquuntur. Vt Marcus Tull. Cicero. Ausonius.

Tres equitum turma, tria nomina nobilium.

Giraldus Dialogo 4. Prolo. Flauius Coniec. Cent. 1. Politianus vero Miscellaneorum cap. 31. putat Iuuenalem non intelligere nobilẽ, quia tria nomina nec soli nobiles habebant, nec vniuersi. Sed hi potius ar-

bitror qui è seruitio manumittebantur ; quocirca sensus quoque, vel ob id acutior atque concinnior, Vt conuiuator ne liberum quidē putet, neue pro libero fari æquum censeat, quem sibi conuiuam vocauerit, quæ quidem sententia Politiani satis acuta est, sed à mente Poëtæ prorsus aliena.

QVANDO PROPINAT.] Dat calicem, in quo ipse bibit. Lucil. Satyrarum lib. 3.

Enni Poëta salue, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus.

Et Martialis,

Qui nulli calicem tuum propinas,
Humane facis Herme, non superbe.

Diues inquit Poëta, tam superbus est, vt numquam tibi det calicē suum ad bibendum, neque tuum accipiat.

PERTVSA LENA.] Paupere panno, & pertusa veste homines, id est pauperes. Quadringenta tibi, scilicet sextertia. homunicio, id est homunculus. MELIOR FATIS.] quæ nihil tibi dederunt.

A TREBIO.] Trebius parasiti nomen, ad quem scribit.

AB ILIBVS.] Ab intestinis. Ilia dicta ab ina, quæ pars chartæ est tenuissima. Sextus Pompeius. Festus.

NVLLVS TIBI PARVVLVS AVLA LVSERIT ÆNEAS.] Allusio est ad illud Virgilij 4. Æneidos. ait enim Dido,

— si quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas qui te tantum ore referret.

FILIA DVLCIOR ILLO.] Scilicet filio, vt censet Brittannicus. Ego vero de captatore loqui reor Poëtam. non enim dulcior est filia, filio.

MYCHALE.] Nomen mulieris Trebij, vel montis Ioniæ ferarum cōpiam habentis. vnde Iuuenalis vxorem Trebi vocat Michalem, quia fœcunda est.

LOQVACI GAVDEBIT NIDO.] Id est cunis puerorum. metaphoram facit ab auibus, quia sunt garrulæ in nido.

VIRIDEM THORACA.] Armisausiam prasinam, vt Simiæ. Thorax pectus tegebat. Suetonius in Augusto, Hyeme quaternis cum pingui togâ, tunicis, & subucula, Thorace laneo, & femoralibus, & tibialibus muniebantur. Veste viridi induebantur paruuli. hinc Papinius de Glauciā semper ad annos texta legens modo puniceo velabat amictu nunc herbas imitante sinu.

ANCIPITES FVNGI.] Mortiferi, venenosi: ancipites, quia cum periculo comeduntur.

SED QVALES CLAVDIVS EDIT.] Claudius Nero boleto ab vxore Agrippinâ medicato extinctus est. Suetonius in Clau. & veneno quidem occisum conuenit. vbi autem, & per quem dato, discrepat. quidam tradunt epulanti in arce cum sacerdotibus per Halotum Spadonem, prægustatorem. alij domestico conuiuio per

ipſam Agrippinam, quæ Boletum medicatum auidiſſimo ciborum talium obtulerat.

VIRRO SIBI ET RELIQVIS VIRRONIBVS.] Virrones comites, ſocij, & conuictores Virroni. Scaliger in Catullum.

PHAEACVM AVTVMNVS HABEBAT.] Alcinous Phæacum Rex, hortos habuit perpetuis fructibus virentes, in quibus pirum piro, pomum pomo ſuccedebat. Ideo perpetuus Autumnus ibi eſſe videbatur, author Homerus 7. Odyſſeæ. Et Martialis lib. 7. ad Ciſtricum,

Alcinoo nullum poma dediſſe putas.

SORORIBVS APHRIS.] In Æthiopia ſpecioſiſſimum pomarium Atlanti fuit, in quo naſcebantur mala aurea, quæ Heſperides cuſtodiebant. Plinius lib. 5. cap. 2. Sororibus Aphris, id eſt hortis Heſperidum. Martialis lib. 4.

Tulli iugera pauca Martialis,
Hortis Heſperidum beatiora.

PARMA.] Eſt ſcutum breue. Virgilius lib. 8. Æneid.

Enſe leui nudo parmaque inglorius alba.

METVENSQVE FLAGELLI.] Tyro. iaculum, id eſt haſtam.

AB HIRSVTA CAPELLA.] A magiſtro hirſuto, quia in bello milites vtebantur veſtimentis ex pilis caprarum & hircorum textis, Vt docet Strabo, & Virgilius lib. 3. Georgicon,

Nec minus interea barbas incanaque menta,
Syniphii tondent hirci ſetaſque comantis,
Vſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.

Idem lib. 8. Æneid.

Ducunt exortem Æneæ quem fulua leonis,
Pellis obit totum præfulgens vnguibus aureis.

Hirſuti ergo dicuntur magiſtri, aut à veſtibus, aut à pilis. hinc Ammianus Marcellinus lib. 17. in Conſtantio & Iuliano, omnes qui plus poterant in palatio Conſtantij, ſcilicet adulandi profeſſores, recte conſulta proſpereque completa vertebant in deridiculū, talia ſine modo ſtrepentes inſulſe in odium venit cum victoriis ſuis capella, non homo, Iulianum carpentes. Et Propertius.

Eques & frenis idem fuit aptus aratris.
Et galea hirſuta compta lupina iuba.

Et Martialis.

Vix tangere vagos ferro ſecare capillos,
Doctus & hirſutas excoluiſſe genas.

Iuſt. Lipſius lumen & columen literarum Centur. 2. epiſt. 35. ad Ioſiam Mercerum, ait Ioſephum Scaligerum in libro qui Ivo Vilomarus in Titum inſcribitur, cuius author eſt ipſe Scaliger, legere hic hirſuto, quam lectionem non probat. Quinimo aduerſantibus omnibus codicibus huic verſui inſerit hirſuto, & vult Capellam Statilium equitem Romanum intelligi, de quo vide Suetonium in Veſpaſiano. Eubi

nus in re ancipiti, ancipitem præbens animum aliorum opiniones recenset, suam occultat, ait enim quosdam existimare C pellam viuam scopi loco positam, & alligatam fuisse, ad quam iacularentur, quod est magis falsum quàm id quod est falsissimum.

ETRVSC M PVERO SI CONTIGIT AVRVM.] Si natus sit liber & ingenuus. bulla aurea gestabatur à nobilibus, allata ex Etruria à Tarquinio, vt docet Macrob. 1. Saturnal. eodem Traquinio authore datum est libertinis, vt bullam gestarent, non auream. Sensus, quis est aut natus liber, dignus bulla aurea aut libertinæ cõditionis, vt possit gestare lorum, qui ferat superbiam huius mensæ & contumelias? ac si dicat nemo feret, nisi sit Domitius. Calderinus.

MINOR ALTILIS] Gallina pinguis imminuta à Virrone qui partem eius comedit. Altile non solum pingue ab alendo verum etiam opulentum. Plautus in Sistell. Prohibet diuitiis optimis, dote altili atque opimi. Nonius Marcell.

PVLSANDVM VERTICE RASO PRÆBEBIS QVANDOQVE CAPVT.] Caput tuum pulsandum præbebis more seruorum. nam qui manumittebantur capite raso & percusso, vindicta accipiebant pileum in templo Feroniæ deæ. Mens Iuuenalis hæc est, propter epulas & amicitiam, potentis eris subditus, vt seruus patrono præbens caput pulsandum vertice raso, vt manumittatur, nec timebis flagra, & indigna homine libero pati. Terentius in Eunucho, at ego infœlix, neque ridiculus esse, neq; plagas pati possum.

DECII IVNII

IVVENALIS

SATYRARVM LIBER II.

SATYRA VI.

Posthumum monet ne facile patiatur se matrimonio obligari, eius incommoda ob oculos ponens: & miro stomacho mulierum mores & vitia insectatur.

CREDO *pudicitiam Saturno rege moratam*
In terris, visamque diu: cùm frigida paruas
Preberet spelunca domos, ignémque, Laremque,
5 *Et pecus, & dominos communi clauderet vmbra:*
Siluestrem montana torum cùm sterneret vxor
Frondibus, & culmo, vicinarúmque ferarum
Pellibus: haud similis tibi Cynthia, nec tibi, cuius
Turbauit nitidos exstinctus passer ocellos:
10 *Sed potanda ferens infantibus vbera magnis,*
Et sæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe nouo, cælóque recenti
Viuebant homines: qui rupto robore nati,
Compositique luto nullos habuere parentes.
15 *Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,*
Aut aliqua extiterant, & sub Ioue, sed Ioue nondum
Barbato, nondum Græcis iurare paratis
Per caput alterius, cùm furem nemo timeret
Caulibus, aut pomis, & aperto viueret horto.

Paullatim deinde ad Superos Astræa recessit
Hac comite, atque duæ pariter fugêre sorores. 20
Antiquum, & vetus est alienum Postume lectum
Concutere, atque sacri Genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.
Viderunt primos argentea sæcula mœchos.
Conuentum tamen, & pactum, & sponsalia nostra 25
Tempestate paras, iamque à tonsore magistro
Pecteris. & digito pignus fortasse dedisti.
Certè sanus eras, vxorem Postume ducis?
Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam saluis tot restibus vllam? 30
Cùm pateant altæ, caligantesque fenestræ?
Cùm tibi vicinum se præbeat Æmilius pons?
Aut si de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit?
Pusio, qui noctu non litigat? exigit à te 35
Nulla iacens illic munuscula, nec queritur, quod
Et lateri parcas, nec quantum iussit, anheles.
Sed placet Vrsidio lex Iulia: tollere dulcem
Cogitat heredem cariturus turture magno,
Mullorumque iubis, & captatore macello. 40
Quid fieri non posse putes, si iungitur vlla
Vrsidio? si mœchorum notissimus olim
Stulta maritali iam porigit ora capistro:
Quem toties texit perituri cista Latini?
Quid? quòd & antiquis vxor de moribus illi 45
Quæritur? ô medici mediam pertundite venam.
Delicias hominis, Tarpeium limen adora
Pronus, & auratam Iunoni cæde iuuencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Paucæ adeò Cereris vittas contingere dignæ, 50
Quarum non timeat pater oscula. necte coronam
Postibus, & densos per limina tende corymbos.
Vnus Iberinæ vir sufficit: ocyus illud
Extorquebis, vt hæc oculo contenta sit vno.
Magna tamen fama est cuiusdam rure paterno 55
Viuentis. viuat Gabiis, vt vixit in agro:
Viuat Fidenis, & agello cedo paterno.

Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeò senuerunt Iupiter & Mars,
60 *Porticibusne tibi monstratur femina voto*
Digna tuo? cuneis an habent spectacula totis
Quod securus ames, quodque exinde excerpere possis?
Cheironomon Ledam molli saltante Batyllo,
Tuccia vesicæ non imperat: Apula gannit,
65 *Sicut in amplexu: subitum, & miserabile longum*
Attendit Thymele: Thymele tunc rustica discit.
Ast aliæ quoties aulea recondita cessant,
Et vacuo, clausoque sonant fora sola theatro,
Atque à plebeis longè Megalesia, tristes
70 *Personam, Thyrsumque tenent, & subligar Acci.*
Vrbicus exodio risum mouet Attellanæ
Gestibus Autonoes: hunc diligit Ælia pauper.
Soluitur his magno comœdi fibula. sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent: Hispulla tragœdo
75 *Gaudet. an expectas, vt Quinctilianus ametur?*
Accipis vxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiúsque Choraules.
Longa per angustos figamus pulpita vicos:
Ornentur postes, & grandi ianua lauro,
80 *Vt testudineo tibi, Lentule, conopeo*
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta Senatori comitata est Hippia ludium
Ad Pharron, & Nilum, famosáque mœnia Lagi,
Prodigia, & mores vrbis damnante Canopo.
85 *Immemor illa domus, & coniugis, atque sororis,*
Nil patriæ indulsit, plorantéisque improba gnatos,
Vtque magis stupeas ludos, Paridémque reliquit.
Sed quanquam in magnis opibus, plumáque paterna,
Et segmentatis dormisset paruula cunis,
90 *Contempsit pelagus: famam contempserat olim,*
Cuius apud molleis minima est iactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, latéque sonantem
Pertulit Ionium constanti pectore, quamuis
Mutandum toties esset mare. iusta pericli
95 *Si ratio est, & honesta: timent pauidéque gelantur*
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis.

Fortem

Fortem animum præstant rebus,quas turpiter audent
Si iubeat coniux,durum est conscendere nauim:
Tunc sentina grauis,tunc summus vertitur aër.
Quæ mœchum sequitur,stomacho valet. illa maritum 100
Conuomit:hæc inter nautas & prandet,& errat
Per puppim,& duros gaudet tractare rudenteis.
Qua tamen exarsit forma, qua capta iuuenta est
Hippia?quid vidit propter quod ludia dici
Sustinuit? nam Sergiolus iam radere guttur 105
Cœperat,& secto requiem sperare lacerto.
Præterea multa in facie deformia:sicut
Attritus galea,medijsque in naribus ingens
Gibbus,& acre malum semper stillantis ocelli.
Sed gladiator erat,facit hoc illos Hyacinthos: 110
Hoc pueris patriæque,hoc prætulit illa sorori,
Atque viro. ferrum est quod amant. hic Sergius idem
Accepta rude cœpisset Veiento videri.
Quid priuata domus,quid fecerit Hippia curas?
Respice riualeis Diuorum: Claudius audi, 115
Quæ tulerit. dormire virum cùm senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius vna,
Et nigrum flauo crinem abscondente galero, 120
Intrauit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam,atque suam:tunc nuda papillis
Constitit auratis,titulum mentita Lyciscæ,
Ostendítque tuum generose Britannice ventrem.
Excepit blanda intranteis,atque æra poposcit: 125
Mox,lenone suas iam dimittente puellas,
Tristis abit: sed quod potuit,tamen vltima cellam
Clausit,adhuc ardens rigidæ tentigine vuluæ,
Ac resupina iacens multorum absorbuit ictus,
Et lassata viris,nondum satiata recessit, 130
Obscurisque genis turpis, fumóque lucernæ,
Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.
Hippomanes,carmenque loquar,coctumque venenum,
Priuignóque datum faciunt grauiora coactæ
Imperio sexus,minimumque libidine peccant. 135

Optima sed quare Cesennia teste marito?
Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam,
Nec Veneris pharetris macer est, aut lampade feruet:
Inde faces ardent, veniunt à dote sagittæ.
140 *Libertas emitur: coram licet innuat: atque*
Rescribat: vidua est locuples, quæ nupsit auaro.
Cur desiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non vxor amatur.
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
145 *Fiant obscuri dentes, oculique minores:*
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi,
Iam grauis es nobis, & sæpe emungeris, exi
Ocyus, & propera: sicco venit altera naso.
Interea calet, & regnat. poscitque maritum
150 *Pastores, & ouem Canusinam, vlmósque Falernas.*
Quantulum in hoc? pueros omneis, ergastula tota?
Quòdque domi non est, & habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumæ, cùm iam mercator Iason
Clausus, & armatis obstat casa candida nautis,
155 *Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus*
Murrhina, deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ dedit hunc Agrippa sorori,
Obseruant vbi festa mero pede sabbata Reges,
160 *Et vetus indulget senibus clementia porcis.*
Nulláne de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, diues, fœcunda, vetustos
Porticibus disponat auos, intactior omni,
Crinibus effusis, bellum dirimente Sabina:
165 *RARA auis in terris, nigróque simillima cycno.*
Quis feret vxorem, cui constant omnia? malo,
Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater
Graccorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
170 *Tolle tuum precor Hannibalem, victúmque Syphacem*
In castris, & cum tota Carthagine migra.
Parce precor, Pæan, & tu depone sagittas,
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem,
Amphion clamat: sed Pæan contrahit arcum.

Extulit ergò gregem natorum, ipsumque parentem,
Dum sibi nobilior Latonæ gente videtur,
Atque eadem scrofa Niobe fecundior alba,
Quæ tanti grauitas, quæ forma, vt se tibi semper
Imputet? huius enim rari, summique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo 180
Plus aloës, quàm mellis habet. quis deditus autem
Vsque adeò est, vt non illam, quam laudibus effert,
Horreat, inque dies septenis oderit horis?
Quædam parua quidem, sed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quam quòd se non putat vlla 185
Formosam, nisi quæ de Tusca Græcula facta est?
De Sulmonensi mera Cecropis? omnia Græcè,
Cùm sit turpe magis nostris nescire Latinè.
Hoc sermone pauent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. quid vltra? 190
Concubunt Græce. dones tamen ista puellis.
Túne etiam, quam sextus & octogesimus annus
Pulsat, adhuc Græce? non est hic sermo pudicus
In vetula, quoties lasciuum interuenit illud,
Ζωὴ ϗ ψυχὴ *modò sub lodice relictis* 195
Vteris in turba. quod enim non excitat inguen
Vox blanda, & nequam? digitos habet, vt tamen omnes
Subsidant pennæ. dicas hæc mollius Æmo,
Quamquam & Carpophoro, facies tua computat annos.
Si tibi legitimis pactam, iunctámque tabellis 200
Non es amaturus: ducendi nulla videtur
Caussa: nec est, quare cenam, & mustacia perdas
Labente officio, crudis donanda, nec illud,
Quod prima pro nocte datur cùm lance beata
Dacicus, & scripto radiat Germanicus auro. 205
Si tibi simplicitas vxoria, deditus vni
Est animus: summitte caput ceruice parata
Ferre iugum: nullam inuenies: quæ parcat amanti.
Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis,
Et spoliis igitur longè minus vtilis illi 210
Vxor, quisquis erit bonus, optandusque maritus.
Nil vnquam inuita donabis coniuge: vendes
Hac obstante nihil: nihil, hæc si nolit, emetur.

Hæc dabit affectus: ille excludetur amicus
215 *Iam senior, cuius barbam tua ianua vidit.*
Testandi cùm sit lenonibus, atque lanistis
Libertas, & iuris idem contingat arenæ,
Non vnus tibi riualis dictabitur heres.
Pone crucem seruo. meruit quo crimine seruus
220 *Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi,*
Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens: ita seruus homo est? nil fecerit, esto:
Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperet ergo viro: sed mox hæc regna relinquit,
225 *Permutátque domos, & flamea conterit: inde*
Aduolat, & spreti repetit vestigia lecti.
Ornatas paulo antè fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virideis in limine ramos.
Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti,
230 *Quinque per autumnos: titulo res digna sepulchri.*
Desperanda tibi salua concordia socru:
Illa docet spoliis nudi gaudere mariti:
Illa docet, missis à corruptore tabellis,
Nil rude, nil simplex rescribere: decipit illa
235 *Custodes, aut ære domat: tunc corpore sano*
Aduocat Archigenem, onerosáque pallia iactat.
Abditus interea latet, & secretus adulter,
Impatiensque moræ pauet, & præputia ducit.
Scilicet expectas, vt tradat mater honestos,
240 *Aut alios mores, quàm quos habet? vtile porrò*
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla ferè caussa est, in qua non femina litem
Mouerit. accusat Manilia, si rea non est.
Componunt ipsæ per se formantque libellos,
245 *Principium, atque locos Celso dictare paratæ.*
Endromidas Tyrias, & femineum ceroma
Quis nescit? aut quis non vidit vulnera pali?
Quem cauat assiduis sudibus, scutóque lacessit,
Atque omneis implet numero dignissima prorsus
250 *Florali matrona tuba, nisi si quid in illo*
Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.
Quem præstare potest mulier galeata pudorem,

Quæ fugit à sexu? vires amat: hæc tamen ipsa
Vir nollet fieri. nam quantula nostra voluptas?
Quale decus rerum, si coniugis auctio fiat, 255
Balteus, & manicæ, & cristæ. crurisque sinistri
Dimidium tegmen: vel si diuersa mouebit
Prælia. tu felix ocreas vendente puella.
Hæc sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias & panniculus bombycinus vrit. 260
Adspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeæ curuetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro,
Et ride, scaphium positis cùm sumitur armis.
Dicite vos neptes Lepidi, cæciue Metelli 265
Gurgitis, aut Fabij, quæ ludia sumserit vnquam
Hos habitus? quando ad palum gemat vxor Asylî?
Semper habet liteis, alternáque iurgia lectus,
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.
Tunc grauis illa viro, tunc orba tigride peior 270
Cùm simulat gemitus occulti conscia facti.
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorât
Vberibus semper lacrymis, sempérque paratis
In statione sua, ipsis exspectantibus illam,
Quo iubeat manare modo: tu credis amorem, 275
Tu tibi tunc curruca places, fletúmque labellis
Exsorbes: quæ scripta, & quas lecture tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur scrinia mœchæ?
Sed iacet in serui complexibus, aut Equitis: dic,
Dic aliquem sodes, dic Quintiliane colorem. 280
Hæremus: dic ipsa. olim conuenerat, inquit,
Vt faceres tu quod velles: nec non ego possem
Indulgere mihi: clames licet, & mare cœlo
Confundas, homo sum. nihil est audacius illis
Deprehensis: iram, atque animos à crimine sumunt. 285
Vnde hæc monstra tamen, vel quo de fonte requiris?
PRAESTABAT castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parua sinebat
Tecta labor, somnique breues, & vellere Tusco
Vexatæ, duræque manus, ac proximus vrbi 290
Hannibal, & stantes Collina in turre mariti.

Nunc patimur longæ pacis mala: sæuior armis
Luxuria incubuit, victúmque vlciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusque libidinis ex quo
295 Paupertas Romana perit: hinc fluxit ad Histros,
Et Sybaris colles: hinc & Rhodos, & Miletos,
Atque coronatum, & petulans, madidumque Tarentum.
Prima peregrinos obscena pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
300 Diuitiæ molles: quid enim venus ebria curat?
Inguinis, & capitis quæ sint discrimina, nescit:
Grandia quæ medijs iam noctibus ostrea mordet,
Cùm perfusa mero spumant vnguenta Falerno,
Cùm bibitur concha, cum iam vertigine tectum
305 Ambulat, & geminis exurgit mensa lucernis.
I nunc, & dubita, qua sorbeat aëra sanna
Tullia, quid dicat notæ Collatia Mauræ,
Maura pudicitiæ veterem cùm præterit aram
Noctibus hîc ponunt lecticas, micturiunt hîc,
310 Effigiemque Deæ longis siphonibus implent,
Inque vices equitant, ac Luna teste mouentur,
Inde domos abeunt: tu calcas luce reuersa
Coniugis vrinam magnos visurus amicos.
Nota Bonæ secreta Deæ, cùm tibia lumbos
315 Incitat, & cornu pariter, vinóque feruntur
Attonitæ, crinémque rotant vlulante Priapo
Mænades. ô quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quæ vox saltante libidine! quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!
320 Lenonum ancillas posita Laufella corona
Prouocat, & tollit pendentis præmia coxæ:
Ipsa medullinæ frictum crissantis adorat.
Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
Nil ibi per ludum simulabitur: omnia fient
325 Ad verum, quibus incendi iam frigidus æuo
Laomedontiades, & Nestoris hernia posit.
Tunc prurigo moræ impatiens, tunc femina simplex.
Et toto pariter repetitur clamor ab antro.
Iam fas est. admitte viros. dormitat adulter?
330 Illa iubet sumpto iuuenem properare cucullo.

Si nihil est, seruus incurritur. abstuleris spem
Seruorum, veniet conductus aquarius: hic si
Quaeritur, & desunt homines, mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem summittat asello.
Atque vtinam ritus veteres, & publica saltem 335.
His intacta malis agerentur sacra: sed omnes
Nouerunt Mauri, atque Indi, quae psaltria penem
Maiorem, quàm sint duo Caesaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius vnde fugit mus,
Intulerit, vbi velari pictura iubetur, 340
Quaecumque alterius sexus imitata figuram est.
Et quis tunc hominum contemptor Numinis? aut quis
Sympuuium ridere Numae, nigrúmque catinum,
Et Vaticano fragileis de monte patellas
Ausus erat? sed nunc ad quas non Clodius aras? 345.
Audio quid veteres olim moneatis amici.
Pone seram: cohibe. sed quis custodiet ipsos
Custodes? cauta est, & ab illis incipit vxor.
Iámque eadem summis pariter, minimísque libido:
Nec melior, pedibus silicem quae conterit atrum, 350.
Quam quae longorum vehitur ceruice Syrorum.
Vt spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, ceruical, amicas,
Nutricem, & flauam, cui det mandata, puellam.
Haec tamen argenti superest quodcunque paterni 355.
Laeuibus athletis ac vasa nouissima donat.
MVLTIS res angusta domi est: sed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
Quem dedit haec, posuitque modum. tamen vtile quid sit
Prospiciunt aliquando viri, frigusque famemque 360.
Formica tandem quidam expauere magistra.
Prodiga non sentit pereuntem femina censum:
At, velut exhausta rediuiuus pullulet arca
Nummus, & è pleno semper tollatur aceruo,
Non vnquam reputant, quanti sibi gaudia constent. 365
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbae,
Et quod abortiuo non est opus: illa voluptas
Summa tamen, quod tam calida, & matura iuuenta

370 *Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro.*
Ergo exspectatos, ac iussos crescere primùm
Testiculos, postquàm cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantùm rapit Heliodorus.
Conspicuus longè, cunctisque notabilis intrat
375 *Balnea, nec dubiè, custodem vitis, & horti*
Prouocat, à domina factus spado. dormiat ille
Cum domina. sed tu iam durum, Postume, iámque
Tundendum eunucho Bromium committere noli.
Si gaudet cantu: nullius fibula durat
380 *Vocem vendentis Prætoribus: organa semper*
In manibus: densi radiant testudine tota
Sardonyches: crispo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operam dedit: hunc tenet, hoc se
Solatur, gratóque indulget basia plectro.
385 *Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti*
Cum farre, & vino Ianum, Vestámque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere. quid faceret plus
Ægrotante viro? medicis quid tristibus erga
390 *Filiolum? stetit ante aram, nec turpe putauit*
Pro cithara velare caput, dictatáque verba
Protulit, vt mos est, & aperta palluit agna.
Dic mihi nunc, quæso, dic antiquissime Diuûm,
Respondes his Iane pater? magna ocia cœli.
395 *Non est, vt video, non est, quid agatur apud vos.*
Hæc de comœdis te consulit: illa tragœdum
Commendare volet, varicosus fiet haruspex.
Sed cantet potiùs, quàm totam peruolet vrbem
Audax, & cœtus possit quàm ferre virorum,
400 *Cúmque paludatis Ducibus, præsente marito,*
Ipsa loqui recta facie, strictísque mamillis.
Hæc eadem nouit, quid toto fiat in orbe,
Quid Seres, quid Thraces agant. secreta nouercæ,
Et pueri: quis amet, quis decipiatur adulter.
Dicet quis viduam prægnantem fecerit, & quo
405 *Mense: quibus verbis concumbat quæque, modis quot.*
Instantem Regi Armenio, Parthóque cometem
Prima videt: famam, rumorésque illa recenteis

Excipit ad portas: quosdam facit ipse Niphatem
In populos, magnoque illic cuncta arua teneri 410
Diluuio: nutare vrbes, subsidere terras,
Quocunque in triuio, cuicunque est obuia narrat.
Nec tamen id vitium magis intolerabile, quàm quod
Vicinos humileis rapere, & concidere loris
Exorata solet. nam si latratibus alti 415
Rumpuntur somni: fustes huc ocyus, inquit,
Adferte, atque illis dominum iubet antè feriri,
Deinde canem: grauis occursu, teterrima vultu
Balnea nocte subit: conchas, & castra moueri
Nocte iubet: magno gaudet sudare tumultu,
Cùm lassata graui ceciderunt brachia massa, 420
Callidus & Cristæ digitos impressit Aliptes,
Ac summum dominæ femur exclamare coëgit.
Conuiuæ miseri interea somnóque, faméque
Vrgentur. tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur vrna 425
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim,
Dum redit, & terram luteo ferit intestino.
Marmoribus riui properant, aut lata Falerno
Peluis olet: nam sit, tanquam alta in dolia longus 430
Deciderit serpens, bibit, & vomit. ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen grauior, quæ cum discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elisæ,
Committit vates, & comparat inde Maronem, 435
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt Grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet, nec caussidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis.
Tot pariter pelues, tot tintinnabula dicas 440
Pulsari. iam nemo tubas, atque æra fatiget:
Vna laboranti poterit succurrere Lunæ.
Imponit finem sapiens & rebus honestis.
Nam quæ docta nimis cupit, & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet, 445
Cædere Siluano porcum, quadrante lauari.

Non habeat matrona, tibi quæ iuncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
450 *Torqueat enthymema, nec historias sciat omneis.*
Sed quædam ex libris & non intelligat. odi
Hanc ego, quæ repetit, voluitque Palæmonis artem.
Seruata semper lege, & ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
455 *Nec curanda viris opicæ castigat amicæ*
Verba. solœcismum liceat fecisse marito.
Nil non permittit mulier sibi: turpe putat nil,
Cùm virideis gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos commisit elenchos.
460 *Intolerabilius nihil est, quàm femina diues.*
Intereà fœda adspectu, ridendáque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad mœchum veniet lota cute: quando videri
465 *Vult formosa domi? mœchis foliata parantur.*
His emitur quidquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fouetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
470 *Exsul Hyperboreum si dimittatur ad axem.*
Sed quæ mutatis inducitur, atque fouetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit, & madidæ, facies dicetur, an vlcus?
Est operæpretium penitus cognoscere toto
475 *Quid faciant, agitentque die. si nocte maritus*
Auersus iacuit: periit libraria, ponunt
Cosmetæ tunicas, tardè venisse Liburnus
Dicitur, & pœnas alieni pendere somni
Cogitur. hic frangit ferulas: rubet ille flagellis,
480 *Hic scutica. sunt quæ tortoribus annua præstent.*
Verberat, atque obiter faciem linit: audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum,
Et cædens longi relegit transacta diurni,
Et cedit, donec lassis cædentibus, exi
485 *Intonat horrendum, iam cognitione peracta.*
Profectura domo Sicula non mitior aula.

Nam si constituit, solitóque decentius optat
Ornari, & properet, iamque exspectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potiùs sacraria lenæ,
Componit crinem laceratis ipsa capillis, 490
Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuò flexi crimen, facinusque capilli.
Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ,
Si tibi displicuit nasus tuus? altera læuum 495
Extendit, pectítque comas, & voluit in orbem.
Est in consilio matrona admotáque lanis,
Emeritâ quæ cessat acu: sententia prima
Huius erit: post hanc ætate, atque arte minores
Censebunt, tanquam famæ discrimen agatur, 500
Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromachen à fronte videbis:
Post minor est: aliam credas cedo, si breue parui
Sortita est lateris spatium, breuiorque videtur 505
Virgine Pygmæa nullis adiuta cothurnis,
Et leuis erecta consurgit ad oscula planta.
Nulla viri cura intereà, nec mentio fiet
Damnorum: viuit tanquam vicina marito.
Hoc solo propior, quod amicos coniugis odit, 510
Et seruos. grauis est rationibus. ecce furentis
Bellonæ, matrisque Deûm chorus intrat, & ingens
Semiuir, obsceno facies reuerenda minori,
Mollia, qui rupta secuit genitalia testa,
Iam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt 515
Plebeia, & Phrygia vestitur bucca tiara,
Grande sonat, metuíque iubet Septembris, & Austri
Aduentum, nisi se centum lustrauerit ouis,
Et xerampelinas veteres donauerit ipsi,
Vt quidquid subiti, & magni discriminis instat, 520
In tunicas eat, & totum semel expiet annum.
Hibernum fracta glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet: inde superbi
Totum regis agrum nuda, ac tremebunda cruentis 525

Erepet genibus: si candida iusserit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidásque petitas
A Meroë portabit aquas, vt spargat in æde
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ouili.
530 *Credit enim ipsius dominæ se voce moneri.*
En animam, & mentem, cum qua Dij nocte loquuntur.
Ergo hic præcipuum, summúmque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege caluo
Plangentis populi currit derisor Anubis.
535 *Ille petit veniam, quoties non abstinet vxor*
Concubitu, sacris, obseruandísque diebus,
Magnáque debetur violato pœna cadurco.
Et mouisse caput visa est argentea serpens
Illius lacrymæ, meditatáque murmura præstant,
540 *Vt veniam culpæ non abnuat, ansere magno*
Scilicet, & tenui popano corruptus Osiris.
Cùm dedit ille locum, cophino: fenóque relicto,
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna sacerdos
545 *Arboris, ac summi fida internuntia cæli.*
Implet & illa manum, sed parciùs ære minuto
Qualiacunque voles Iudæi somnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel diuitis orbi
Testamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
550 *Tractato, Armenius, vel Commagenus haruspex.*
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri: faciet quod deferat ipse.
Chaldæis sed maior erit fiducia: quidquid
Dixerit Astrologus, credent à fronte relatum
555 *Hammonis: quoniam Delphis oracula cessant,*
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen est horum, qui sæpius exsul,
Cuius amicitia, conducendáque tabella
Magnus ciuis obit, & formidatus Othoni.
560 *Inde fides arti, sonuit si dextera ferro,*
Læuáque si longo castrorum in carcere mansit.
Nemo Mathematicus Genium indemnatus habebit:
Sed qui pænè perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit, & parua tandem caruisse Seripho.

Consulit icterice lento de funere matris, 565
Ante tamen de te, Tanaquil tua: quando sororem
Efferat, & patruos: an sit victurus adulter
Post ipsam. quid enim maius dare Numina possunt?
Hæc tamen ignorat quid sidus triste minetur
Saturni, quo læta Venus se proferat astro, 570
Qui mensis damno, quæ dentur tempora lucro.
Illius occursus etiam vitare memento,
In cuius manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas: quæ nullum consulit, & iam
Consulitur: quæ castra viro, patriámque petente 575
Non ibit pariter numeris reuocata Thrasilli.
Ad primum lapidem vectari cùm placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit.
Ægra licet iaceat, capiendo nulla videtur 580
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.
Si mediocris erit: spatium lustrabit vtrunque
Metarum, & sorteis ducet, frontémque, manúmque
Præbebit vati crebrum poppysma roganti.
Diuitibus responsa dabit Phryx augur, & inde 585
Conductus dabit astrorum, mondique peritus,
Atque aliquis senio, qui publica fulgura condit.
Plebeium in circo positum est, & in aggere fatum.
Quæ nudis longum ostendit ceruicibus aurum:
Consulit ante falas delphinorúmque columnas, 590
An saga vendenti nubat caupone relicto.
Hæc tamen & partus subeunt discrimen, & omneis
Nutricis tolerant fortuna vrgente labores:
Sed iacet aurato vix vlla puerpera lecto.
Tantum artes huius, tantum medicamina possunt, 595
Quæ sterileis facit, atque homines in ventre necandos
Conducit. gaude infelix, atque ipse bibendum
Porrige quidquid erit: nam si distendere vellet,
Et vexare vterum pueris salientibus, esses
AEthiopis fortasse pater: mox decolor hæres 600
Impleret tabulas nunquam tibi mane videndus.
Transeo suppositos, & gaudia votáque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos

Pontifices Salios, Scaurorum nomina falso
605 Corpore laturos. stat Fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus. hos fouet omneis,
Inuoluitque sinu: domibus tunc porrigit altis,
Secretumque sibi mimum parat, hos amat, his se
Ingerit, atque suos ridens producit alumnos.
Hic magicos adfert cantus, hic Thessala vendit
610 Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti,
Et solea pulsare nates quòd desipis, inde est,
Inde animi caligo, & magna obliuio rerum,
Quas modò gessisti. tamen hoc tolerabile, si non
615 Et furere incipias, vt auunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit. quæ non faciet, quod Principis vxor?
Ardebant cuncta, & fractâ compage ruebant,
Non aliter, quàm si fecisset Iuno maritum
620 Insanum. minùs ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: siquidem vnius præcordia pressit
Ille senis, tremulúmque caput descendere iussit
In cœlum, & longam manantia labra saliuam.
Hæc poscit ferrum atque igneis, hæc potio torquet:
625 Hæc lacerat mixtos equitum cum sanguine patres.
Tanti partus equæ, quanti vna venifica constat.
Oderunt natos de pellice: nemo repugnet,
Nemo vetet: iam iam priuignum occidere fas est.
Vos ego pupilli moneo, quibus amplior est res,
630 Custodite animas, & nulli credite mensæ.
Liuida materno feruent adipata veneno.
Mordeat antè aliquis, quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit: timidus prægustet procula papas.
Fingimus hæc, altum Satyra sumente cothurnum
635 Scilicet, & finem egressi, legémque priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu
Montibus ignotum Rutulis, cœlóque Latino.
Nos vtinam vani sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paraui,
640 Quæ deprehensa patent: facinus tamen ipsa peregi.
Tune duos vnâ sæuissima vipera cena?
Tune duos? septem si septem forte fuissent.

Credamus tragicis: quidquid de Colchide torua
Dicitur & Procne. nil contrà conor, & illæ
Grandia monstra suis audebant temporibus: sed
Non propter numos. minor admiratio summis 645
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, & rabie iecur incendente feruntur
Præcipites: vt saxa abrupta, quibus mons
Subtrahitur, cliuóque latus pendente recedit.
Illam ego non tulerim, quæ computat, & scelus ingens 650
Sana facit spectant subeuntem fata mariti
Alcestim, & similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam seruare catellæ.
Occurent multæ tibi Belides, atque Eriphyle.
Mane Clitemnæstram nullus non vicus habebit. 655
Hoc tantùm refert, quòd Tyndaris illa bipennem
Insulsam, & fatuam dextra, læuáque tenebat:
Ac nunc res igitur, tenui pulmone rubetæ,
Sed tamen & ferro, si prægustaret Atreides
Pontica ter victi cautus medicamina Regis.

IN SATYRAM
SEXTAM.

CREDO PVDICITIAM SATVRNO REGE.] Id. sæculo aureo. nam Saturnus ætate aurea in Latio regnauit.

LAREMQVE.] Vnusquisque Deum domi familiarem colebat, quem Larem vocabant, quem cultum inde ortum docet Seruius, quia apud antiquos mortui in suis ædibus sepeliebantur, quos velut Deos colere ceperunt.

FRONDIBVS ET CVLMO.] Culmus propriè appellatur ipsa palea, vnde columnæ ædium sunt appellatæ, quod prius culmis, hoc est paleis integerentur.

HAVD SIMILIS TIBI CYNTHIA.] Non similis tibi Cynthia, quæ luxu vestium oblectari. Cynthia amica Propertij, de qua ipse,

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

Et Martialis libro 7.

Cynthia te vatem fecit lasciue Properti.

NEC TIBI CVIVS TVRBAVIT NITIDOS EXTINCTVS PASSER OCELLOS.] O Lesbia amica Catulli, quæ pallerculum quem in delicijs habebat multum fleuit. adeo mollis & delicata erat. vnde Catullus,

Passer mortuus est meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat.

& infra,

Tua nunc opera meæ puellæ.
Flendo turgiduli rubent ocelli.

RVCTANTE MARITO.] Id est ructum faciente, quia vescebatur glande.

QVI RVPTO ROBORE NATI.] Primi homines habitabant in speluncis & syluis, cumque exirent ex arboribus vetustate cauatis, putabantur ex arboribus esse nati. hinc Virgilius,

Et nemora indigenæ fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virum truncis & duro robore nata.

COMPOSITIQVE LVTO.] Alludit Poëta ad id quod dicitur à poëtis, Prometheum finxisse homines ex luto.

ROBVR.] Arbor glandifera.

SVB IOVE.] Id est ætate argentea.

GRÆCIS IVRARE PARATIS, PER CAPVT ALTERIVS.] Id est antequam fierent periuria, quorum inuentores fuere Græci. Hinc Plautus in Asinaria, cætera quæ volumus, vti Græca mercamur fide. per caput alterius. ita olim iurabant, sic Ascanius apud Virgilium iurat.

Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat.

CAVLIBVS.] Herbis. caulis proprie in ipsis herbis robur, siue stipes, id est ea herbæ pars, vnde se producunt folia, & ramus.

AD SVPEROS ASTREA RECESSIT.] Iustitia Astrei, & Auroræ filia.

HAC COMITE.] Pudicitia.

ATQVE DVÆ PARITER FVGERE SORORES.] Pudicitia & iustitia. alij vt interpres à Pytheo editus fides, & pudicitia, & male. nam Astrea teste Hesiodo in cælum euolauit offensa hominum moribus. & Seneca in Agamemnone,

Neglecta terras fugit & mores feros
Hominum, & cruenta cæde pollutas manus,
Astrea virgo syderum magnum decus.

GENNIVM SACRI FVLCRI.] Religionem lecti iugalis. pecteris. vt sponsa cultior & comptior appareas.

TYSIPHONE.] Furia infernali.

SALVIS TOT RESTIBVS.] Saluis funibus, quibus se posset suspendere: caliganies vero dicit fenestras propter altitudinem.

ÆMILIVS PONS.] Quem Marcus Æmilius Scaurus fecit, ex quo te potes præcipitem dare.

PVSIO.] Puer paruus. pusum vt author est Varro puerum, & pusam puellam dixerunt, vnde pusio, pusillus puer.

NEC

NEC QVERITVR.] Si raro feceris, vt vxor: hæc ratio Poëtæ impia est.
LEX IVLIA.] Quæ punit adulteros deprehensos, ideo vult ducere vxorẽ.
IVBIS.] Cristis mullorum, cariturus turture, hoc pisce nam hos pisces captatores mittebant. Brittannicus poëtam loqui de aue putat.
TOLLERE HEREDEM.] Suscipere filium qui futurus sit hæres. Capistro. i. fræno maritali

QVEM TOTIES TEXIT PERITVRI SISTA LATINI.] Latinus delatores timens, vxorem illis submittebat. Turneb. lib. 20. cap. 8. in quodam Mimo Latinus adulterum egerat in sistam conditum, subito mariti aduentu ne deprehenderetur, aut interficeretur. Tranquillus ait Latinum fuisse Mimum Domitiani. Martialis lib. 9. Epitaphium Latini,

Dulce decus scenæ ludorum fama Latinus,
Ille ego sum plausus, deliciæque tuæ.
Qui spectatorem potui fecisse Catonem.

Toties dixit, quia in adulteriis sæpe est deprehensus, & addit, perituri, verebatur enim ne deferretur apud principem.

O MEDICI MEDIAM PERTVNDITE VENAM.] Id est, haurite sanguinem ex media vena, quæ iis qui non sunt sanæ mentis apperitur.

DELICIAS HOMINIS.] Vxor antiqua bonitate, expetitur ab Vrsidio

TARPEIVM LIMEN ADORA PRONVS.] Prostratus adora introitum arcis Tarpeiæ, vbi Iouis Iunonis & Mineruæ templum est, id est limen Capitolinum adora. Tarpeius à Tarpeia: hinc D. Hieronymus in Chronicis Eusebij Tarpeia clypeis Sabinorum obruta. vnde mons Tarpeius, in quo nunc Capitolium.

ET AVRATAM IVNONI CÆDE IVVENCAM.] Victimæ cornibus auratis immolabantur Iunoni, vt ait Plinius, quia nubentibus præest. Virgilius 4. Æneid.

Iunoni ante omnes cui vincula iugalia curæ.

Colebatur item Iuno iugis in vico Iugario, vt ait Liuius, Festus verò ait, ita appellatam, quod nubentes iungeret.

PAVCÆ ADEO CERERIS VITTAS CONTINGERE DIGNÆ.] i. quæ possint Cereris sacerdotes esse: sacris Cereris non initiabantur nisi castæ, & pudicæ. Diodorus tradit Cereris mysteria esse antiquitate castimoniaque apud omnes homines vulgata. Vittæ sunt quæ crinibus innectũtur, quibus fluentes religantur capilli: & vittæ dictæ quod vinciant; item vitta est qua corona vincitur. Isidorus Originum lib. 19. & Seruius in octauum Æneidos. matronarum insigne vitta qua non nisi castæ vti poterant. Hinc Valerius Max. lib. 5. cap. 2. Sancit Senatus vt fœminis semita viri cecederent, confessus, plus salutis in stola, quam in armis fuisse, vetustisque aurium insignibus nouum vitæ discrimen, adiecit.

HIBERINA.] Sponsæ Vrsidij.

VIVAT GABIIS.] In Oppidis etiam paruis, viuat. Fidenis ciuitas Latij. Fidenates Etrusci fuerunt, vrbi proximi.

DENSOSQVE CORYMBOS.] Hederam. corymbi fructus eius sunt,
AGELLO CEDO PATERNO.] concedo quod in agro paterno vicerit.

ADEO SENVERVNT IVPITER ET MARS.] Hos posuit pro adulteris. nam hi in antris & speluncis stupra sæpe commiserunt. Id est, concede quod adeo senes sint, vt non possint esse adulteri.

PORTICIBVS.] Id est, inuenies ne in his locis aliquam quæ honesta sit & voto tuo digna? CVNEIS.] receptaculis. cunei sunt sedes theatri.

CHEYRONOMON LEDAM MOLLI SALTANTE BATYLLO.] Batillus Pantomimus, Tacitus Annalium libro 1. indulserat ei ludicro Augustus dum Mœcenati obtemperat effuso in amorem Battylli, neque ipse abhorrebat à talibus studijs, & ciuile rebatur miscere voluptatibus vulgi.

LEDAM] (Cheyronomon) saltationem gesticulatricem amat. Leda mollis saltatio, quæ cheyronomia manuum gesticulatione, & nutu repræsentatur, vt ait Budæus ad l. athletas, de his qui notantur infamia. D.

TVSCIA.] Mulier rustica, quæ dum pantomimus saltat non potest se cohibere. hinc D. Cyprianus in Epistolis, Adulterium discitur, dum videtur, & quæ pudica fortasse, ad spectaculum matrona processerat, è spectaculo reuerteretur impudica. Tusciæ meminit. Valerius Maximus lib. 8. cap. 1. & Plinius lib. 28. cap. 8.

APVLA.] Mulier ex Apulia Gannir, vocem canis emittit, Varro. vel potius vulpis. hinc Ouid.

—vulpecula gannit.

MISERABILE, LONGVM.] Nomina gestuum, qui motu manuum fiebant in saltatione.

THYMELE.] Mulier quæ scenicis, & histrionibus delectatur, animaduertit totum Theatrum.

AVLÆA.] Vestes varijs floribus, aut imaginibus intextæ, vel aulæa, vela picta, & grandia, quæ ideo aulæa dicta sunt, quod primum in aula Attali regis Asiæ, cui successit populus Romanus, inuenta sunt, Isidorus. Horat.

Plerumque gratæ diuitibus vices
Mundæque paruo sub lare pauperum,
Cœnæ sine aulæis, & ostro,
Sollicitam explicuere frontem.

MEGALESIA.] Ludi Magalesiaci, circenses, qui magnæ matri Deum nempe Cybele erant dicati. hinc Liuius, Marcus Iunius Brutus ædem magnæ matri Deum in palatio dedicauit, & ludos ob eandem dedicationem factos Megalesia appellauit.

THYRSVMQVE.] Hastam pampinis inuolutam. Diodorus scribit Dionysium in exercitu habuisse mulieres Thyrsis armatas.

SVBLIGAR ACCI.] Quo virilia teguntur. Acci, mimi. Martialis in Chionem.

Testa tamen non hac, qua debes parte lauaris,
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

VRBICVS.] Mimi nomen. Vrbicus author comœdiarum, Turnebus.

Capiuntur inquit Poëta, amore Scenicorum.

VRBICVS EXODIO RISVM MOVET ATTELLANÆ.] Lasciuo & inculto carmine. Vrbicus persona ridicula. hinc Iuuenalis.

> *—tandemque redit ad pulpita notum,*
> *Exodium, cum personæ pallentis hiatum.*
> *In gremio matris formidat rusticus infans.*

Intelligit manducum, qui in ludis circumferebatur inter cæteras ridicularias & formidolosas personas, magnis malis lateque dehiscens, & clare crepitans dentibus: in Attellanis præsertim. Pomponius Attellanarius poëta inscripsit exodium quoddam. Pythonem Gorgonium: qui nihil aliud erat quam ille manducus, vt ait Iosephus Scaliger Agenensis in coniectaneis in Varronem.

ATTELLANÆ.] Tertia species est Latinarum fabularum, quæ à ciuitate Oscorum, Attellæ, dictæ sunt: in quibus ridiculæ personæ inducebantur, & argumentis dictisque iocularibus respondebant, vt ait Liuius lib. 7. dec. 1. Postquam lege hac fabellarum, ab risu ac soluto ioco, res auocabatur, & ludus paulatim in artem verterat, iuuentus histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactare cepit, quæ inde exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum Attellanis sunt.

GESTIBVS AVTONOES.] Quando Autonoem saltat, alij scribunt fabulam esse, sensus dum Autonoem agit. Autonoe filia Cadmi Regis Thebanorum, & mater Actæonis conuersi in ceruum, & à canibus discerpti.

ÆLIA.] Matrona Romana pauper. Fibula qua ligabantur pudenda scenicorum, ne coirent, & vocem amitterent. vide Martialem lib. 7. de Menophilo.

CRISOGONVM.] Mimum *Hispulla* matrona. *Quintilianus*, id est mulieres mimos & histriones amant, non doctos viros ac probos, vt Quintilianus erat.

CHION.] vir ille Cytharœdus. *Glaphirus*, alius Cytharœdus. *Ambrosius choraules.* Ambrosius nomen proprium viri. *Choraules* iuflator Tibiæ.

LENTVLE.] Senator Romanus fuit Lentulus. Vel lanista, Bardiacus nobilissimus. Plutarchus.

VT TESTVDINEO CANOPEO.] Canopeum velum erat, quo in AEgypto ad arcendos culices vtebantur. Scaliger in Propertium, Canopeum, proprium AEgyptiorum, qui culicibus acriter infestantur, Plin. lib. 9. cap. 7 adeoque nihil nō gignitur in mari, vt Canopeorum etiā æstiua animalia pernici molesta salti, aut quæ capillus maxime celat, existant Canopeorum animalia, culices. canopeum est rete, inquit Isidorus in similitudinem tentorii contextum propter muscas, & culices excludendos quo magis Alexandrini vtuntur, quia ibi ex Nilo culices copiose nascuntur, vnde & Canopea dicitur. nam Canopea AEgyptus est.

EVRIALVM MYRMILLONEM.] Mirmillonē aduersariū eius, more Gallico

ornatum. Myrmillo is dicitur qui pugnat aduersus retiarium, in cuius galea, piscium effigies inerant, vt scribit Festus.

Hyppia.] Vxor senatoris relicto marito sequuta est ludium, i. gladiatorem, vel potius histrionem. Liuius lib. 7. decadis 1. Hister Thusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum. Ouid.

Ludius aequatam ter pede pulsat humum.

Ad pharon et nilvm.] Ad insulam oppositam Alexandriae in Aegypto, & fluuium Aegypti. Pharos insula est opposita Alexandriae eique ponte iuncta, de qua vt scribit Caesar in Commen. eiusdem nominis in ea est turris ex qua faces exeruntur tempore noctis, indicantes illic portum esse nauigantibus.

Moenia lag.] Alexandriam intelligit, quam Lagus tenuit, pater Cleopatrae.

Damnante canopo.] Pars illa Aegypti lasciua, reprobat prodigia, & mores Roman. Canop. ciuitas est Aegyp.

Lvdos.] Circenses, *Paridemque*. i. pantomimum.

Segmentatis.] Segmenta vocat circulos aureos vel segmenta Zonis quibusdam & quasi praescisamentis ornata nam & particulas cuiusque materiae praesegmina vocant, Isidorus Originum lib. 29. cap. 22.

Cvius apvd molles minima est iactvra cathedras.] Mart. *Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros.*) Ministri cathedralitij erant delicati, & molles qui rheda vehebantur, in cathedra sedentes, sed cum cathedras legamus foemineas, effoeminatos & delicatos intelligimus.

Lvdia.] Mulier gesticulatrix, quae spectatores mouet.

Sergiolvs histrio radere gvttvr.] i. barbam.

Secto lacerto reqviem sperare.] Saucio, lacerato rudem sibi dari desideret. Attritus galeâ. cuius faciem galea attriuerat, vt mirum sit cur tantopere diligatur ab Hyppia.

Facit hoc illos hyacinthos.] Pulcherrimos iuuenes. Hyacinthus Appollinis amasius fuit.

Ferrvm est qvod amant.] Viros fortes libidini idoneos.

Hic sergivs accepta rvde cepisset veiento videri.] Id. sic hic gladiator rude donatus sit, contẽnitur ab Hyppia, vt Veiento maritus accepta rude, id est, accepta venia. nam vacatione digni rude donabantur. Horatius,

Spectatum satis & donatum iam rude quaeris,
Mecoenas iterum antiquo me includere ludo.

Et Cicero 5. Philippica tam bonus gladiator, tam cito rudem accepisti. Sed Veiento senator obesior, natura pigrior & deformior, ideo ait cepisset Veiento videri, id est maritus vxori.

Rivales divorvm.] Adulteri imperatorum qui vxores imperatorum diligebant.

Clavdivs.] Imperator Valeriam Messallinam consobrini filiam, in matrimonium acceperat. Suetonius in Claudio.

Avsa palatino tegetem praeferre cvbili.] Messalina tantae libidinis fuit, vt se immutaret amictu, & cum ancilla descenderet

è palatio, atque publicè prostaret in Circo. Per tegetem tegumenta fornici, intelligit. Martialis,

Sed in grabatis, tegetibusque concepti.

VETERI CENTONE] Velo ex pannis facto, super quo coire solebant. Centones vestes erant è variis pannis & coloribus confectæ, Macrobius, Porcius Cato docet centones fieri ex vestimentis familiæ veteribus. hinc Cento apud Ausonium opusculum structum ex variis diuersisque carminibus.

TITVLVM MENTITA LYCISCÆ] Fingens se Lyciscam meretricem, cellam ingressa est. Martialis lib. 4. ad Paulum.

Facere in Lyciscam Paule me iubes versus,
Quibus illa lectis rubeat & sit irata.

TITVLVM MENTITA] In cellis nomina meretricum superscripta fuerũt. Seneca, Deducta es in lupanar, accepisti locum, pretium est constitutum, titulus inscriptus est. Martialis,

Intrasti quoties inscriptæ limina Cellæ,
Seu puer arrisit, siue puella tibi.

OSTENDITQVE TVVM GENEROSE BRITANNICE VENTREM] Ex quo editus es. Britannicus, hic Messalinæ filius à Nerone postea necatus est, venenum Locusta suggerente, Tacit. Ann. lib 12.

HIPPOMANES] Quod de parte equarum rapitur à fronte pulli, statim vt nascitur, id mater ab eodem lambit, datum in poculum ad res amatorias facit. Virgilius dicit hippomanes esse virus, quod ab equæ inguine defluit, cum amoris agitatur furore.

Hinc demum hippomanes vero quod nomine dicunt,
Pastores, lentum distillat ab inguine virus.

Carmen, id est verba venefica.

CESENNIA BIS QVINGENTA DEDIT] Id est decies centena millia. Turnebus lib. 18. cap. 30. alij legunt Cezonia, intelligentes vxorem Caligulæ, vt Robertus Stephanus P. legit Censennia M. Censoria. Prima sententia verior mihi videtur. Cezennia mulier bona & honesta, quia diues.

NEC VENERIS FARETRIS MACER EST] Id est sagittis Cupidinis, qui filius est Veneris, si vxorem diligit, amor à dote procedit, non à libidine. Pharetra est, theca sagittarum.

AVT LAMPADE FERVET] Desiderio nuptiarum, in nuptiis faces adhibebantur. Bibulæ, huius mulieris.

EMVNGERIS] Mucosa es. vna est ex causis propter quam vxores repudiabant mariti.

OVEM CANVSINAM VLMOSQVE FALERNAS] Greges in Calabria, & vineas in Falerno. per ouem canusinam Apulam intelligit, quæ præcipuæ nobilitatis erat. Canusium est oppidum Dauniorum in Apulia.

ERGASTVLA TOTA] Ergastula droprie dicuntur loca, in quibus ad pœnã vincti, opus faciunt, vt Isidorus ait his verbis. ergastula quoque & ipsa à Græco vocabulo nuncupantur ἔργον, opus & στέλλω, quod est mitto, vel ab εἴργω, quod est claudo; vbi deputantur noxij ad aliquod opus faciendum, vt solent gladiatores, & exules qui marmora secant: & tamen vinculorum

custodiis alligati sunt. hic vero per ergastula rusticorum, per seruientium multitudinem significat.

MENSÆ QVIDEM BRVMÆ.] Mense Decembri quo Bruma est breuissima, quia breuissimus dies est hyemis tempore.

MERCATOR IASON.] Mercator audax . r Iason, qui primus naui longa in insulam Colchidem ad adquirendum aureum vellus peruenit. Clausus, propter gelu & glaciem.

CASA CANDIDA.] Domus rustica, niue conspersa. Per crystallina Poëta intelligit vasa facta ex crystallo, vnde Martialis.

Sic Aretinæ violant crystallina testa.

BERENICES.] Reginæ vxoris herodis,

BARBARVS INCESTÆ.] Ptolomeum significat, & sororem eius.

AGRIPPA SORORI.] Agripp. Iudeorum Rex, post mortẽ Herodis, cui nupserat Berenice soror, suspectus fuit de incestu, cum ea admisso, vt ait Iosephus lib. vlt. antiquitatis Iudaicæ, Agrippa barbarus dedit Adamanta sorori incestæ.

OBSERVANT VBI FESTA MERO PEDE SABBATA REGES.] Iudæorum Reges sabbatis intererant nudis pedibus. Hæbrei sacra & sancta non ingrediebantur loca, nisi nudis pedibus, vt ait Giraldus anno. Dialog. 10. Egesippus in lib. 2. belli Iudaici, tradit Berenicem sororem Agrippæ regis ad templum religionis causa venisse, atque Festum Præsidem Syriæ obsecrasse, cum acerbissima cœde in populum sæuiret, astabat enim nudis pedibus religioni inseruiens.

VETVS INDVLGET SENIBVS CLEMENTIA PORCIS.] Parcunt porcis, quia prohibitum erat Iudæis comedere porcos, ideo senes fiebant.

VETVSTO PORTICIBVS DISPONAT AVOS.] Cuius aui triumphantes in imaganibus picti, & positi in porticibus erant, sit nobilis inquit Poëta.

BELLVM DIRIMENTE SABINA.] Sit castior Sabinis, quæ fœderis inter Tatium, & Romulum authores fuerunt, Liuius lib. 10. Deca. 1.

MALO VENVSINAM.] Mulierem Apulam, licet sit pauper & rustica.

QVAM TE CORNELIA MATER GRACCORVM.] Matrem Corneliam Graccorum eloquentiæ multum contulisse accepimus, inquit Quintil. cuius doctissimus sermo posteris quoque est epistolis traditus. Cornel. gaudebat facta Scipionis commemorare & iactare, vt ait Plutarch.

GRANDE SVPERCILIVM.] Superbiam. Vopiscus in Aureliano, Zenobia, inquit, alloquitur Aurelianum pones profecto supercilium quo nunc mihi deditionem quasi omnifariam victor imperas.

HANNIBALEM.] Virtute tuorum victum.

SYPHACEM.] Regem Numidarum.

CVM TOTA CARTHAGINE MIGRA.] i. cum gloria Scipion. quorum alter Carthaginem tributariam fecit, alter deleuit.

PÆAN.] O Appollo.

IPSAM CONFIGITE MATREM.] Nyobem, vxorem Amphionis superbientem multitudine liberorum. Nyobe Amphionis vxor, ex eo suscepit liberos duodecim, ideo Latonam contemnere ausa est, quod non peperisset nisi Apollinem & Dianam, Dij offensi, filios ad

vnum interemerunt, Hotatius libro 4. Ode 6.

Diue quem proles Nyobæa magnæ,
Vindicem linguæ Pythiosque raptor
Sensit.

AMPHION.]Parens, Amphion Thebis regnauit, quem ferunt cantu Cytharæ saxa mouisse. Fuerunt autem duro corde, & vt dicam saxei quidam auditores. Eusebius in chronicis.

NOBILIOR LATONÆ.]Nobilior generatione Latonæ matris Apollinis & Dianæ.

SCROPHA NIOBE FOECVNDIOR ALBA] Sue alba, quæ visa est Æneæ cum triginta fœtibus, Virgilius lib.3. Æneid.

Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus.
Triginta capitum fœtus enixa iacebit.
Alba solo recubans, albi circum vbera nati
Is locus vrbis erit.

Niobe primæ omnium mulierum mixtus est Iuppiter, vt perhibent, de qua nascitur Apis quem Serapim vocant, inquit Diuus Hieronymus in chronicis Eusebij.

PLVS ALOES QVAM MELLIS HABET.]Plus amaritudinis & superbiæ, quam dulcedinis ex virtutibus & forma. Aloe herba est amarissimi succi, corpori humano saluberrima, aluum purgat. de virtute Aloes mira narrantur à medicis. Plin. lib. 26.

QVÆ DE TVSCA GRÆCVLA FACTA EST.]Quæ solebat Tusca linguâ quæ ipsi vernacula est, loqui, nunc Græca loquatur.

COECROPIS.] Atheniensis, siue Attica, nam sermo Atticus præfertur cæteris.

DE SVLMONENSI.]De Italia. Sulmo oppidum Pelignorum est, in quarta regione Italiæ.

COMCVMBVNT GRÆCE.]Id est Græco more. ζωὴ καὶ ψυχὴ, est vita & anima: verba meretricia.

SVB LODICE.]Stragula, seu copertorio.

DIGITOS HABET.]Excitat perinde ac si digitis palparet. Persius,

— cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur, vbi intima versu.

ÆMO ET CARPOPHORO.]Illis nobilissimis mimis, & histrionibus.

FACIES TVA COMPVTAT ANNOS.]Etiam si vox tua te iuuenculam ostendat, tamen facies ostendit te vetulam.

LEGITIMIS TABELLIS.] Instrumento legitime contracto, tabellis dotalibus, cœnam nuptialem.

MVSTACIA.]Vel Mustacea, fercula musto conspersa, vel genus panis, quod in nuptiis & conuiuiis dabatur sub finem, vt ait Iunius. Cic. lib. 5. ad Atticum epist. 20. Quærere lauream in mustacea cepit, & apud. Athenæum lib. 66. Mustacea ex mulso. Caper Grammaticus ait Mustacea & mustaceos dici, & esse genus panis.

CRVDIS DONANDA.]Iis qui cruditate stomachi laborant.

DACICVS.]Germanicus, numi ita signati, qui pro virginitate amissa nouæ

nuptæ donāt. Dacicus, id eſt imago Domitiani Dacorum victoris, & Germanicus imago eiuſdem victoris Germanorum.

CVIVS BARBAM TVA IANVA VIDIT] i. iuuenilem ætatem, veterem amicum ſignificat.

LANISTIS] Laniſtæ, qui præſunt laniandis gladiatoribus, Magiſtri gladiatorum. Suet. in Iulio Cæſ. Tyrones neque in ludo, neque per laniſtas, ſed in domibus per equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat.

ARENÆ] Iis qui deſcendunt in arenam. Riualis qui eandem amat cum aliquo. Plautus in Stycho, eadem eſt amica ambobus, riuales ſumus.

CVNCTATIO] Nulla mora. *Flammea.* Flammea veſtes nuptiales conterit ſæpe nubendo.

QVINQVE PER AVTVMNOS] Per quinque annos. Autumnus ab augendis opibus dicitur, eo quod coactis frugibus opes augeantur. Feſtus.

ARCHIGENEM] Medicum magnum illius temporis.

PRÆPVTIA DVCIT] Manu penem fricat ſibi.

MANILIA] Meretrix, quæ Hoſtilium Mancinum ædilem Curulem lapide noctu percuſſit, qua de re Hoſtilius ei diem ad populum dixit, vulnuſque ex eo lapide oſtendebat. Manilia vero ad Tribunos plebis prouocauit, & apud eos dixit Mancinum cum vi erumperet in ædes ſuas, lapidibus depulſum. Hæc ex Gellio deſumpta ſunt.

CELSO DICTARE PARATÆ] Oratori illius temporis. Cornelius Celſus temporibus Auguſti floruit: ſcripſit vero de re militari, de ratione dicendi, & de medicina, Quintilianus lib. 12. ſcribit eum fuiſſe mediocri ingenio, & tamen dignum propoſito ſuo.

ENDROMYDAS TYRIAS] Veſtes purpureas, quibus gladiatores vtuntur. Martialis,

—peregrinam
Mittimus Endromydem.

CEROMA] Vnguentum erat ex oleo & cera, in ſpeciem luti, quo quidem in paleſtra vngebantur: mulieres in gymnaſiis exercebantur vnctæ ceromate.

VVLNERA PALLI] Vt Vegetius ſcribit in libro de re militari, Tyrones in campo defigebant palum, contra quem velut aduerſarium ſe exercebant, nunc caput petentes, nunc poplites ſuccidentes; palum denique omni arte bellandi tentabant, eoque modo non tantum mane, ſed etiam poſt meridiem exercebantur ad palos. Laceſſit, i. prouocat clypeo.

FLORALI MATRONA TVBA] Qua committuntur ludi Florales, in quibus meretrices nudatis corporibus per varias artes ludendi diſcurrunt, & armis certāt gladiatoriis, atq; pugnāt. Flora enim, vt diximus ex auctoritate Lactantij apud Perſium in illud, *noſtra vt Floralia poſſint Aprici meminiſſe ſenes;* meretrix fuit, quæ cum ingentes opes arte meretricia comparaſſet, populum Romanum moriens heredem reliquit, cum magna pecunia, ex cuius annuo fœnore natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellarunt Floralia. ſed cum ſenatui flagitioſum videretur ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur,

dereretur, deamque finxerunt esse quæ floribus præesset, eamque oportere placari, vt fruges cum arboribus aut vitibus bene prosperèque florescerent. Hæc Lactantius in primo lib. Diuinarum Institutionum. Suidas, & & Valer. Max.

AVCTIO.] Publica venditio rerum priuatarum. *Balteus*, quia cingulum è corio habebant bullatum Balteum dicunt, Liuius auratæ vaginæ, aurata Baltea illis erant. Nonius Marcell. Manicæ, quibus manus muniuntur.

DIMIDIVM TEGMEN.] Ætoli vno tantum pede calceato, in bellum descendunt, vt ait Macrob. dimidium dixit, quia à pede vsque ad genu crus tantum integebatur, reliqua pars nuda erat, scuto eam tegente: quod institutum Virgilius imitatus ait lib. 7. de Hernicis,

— vestigia nuda sinistri
Instituere pedis crassus tegit altera pero.

OCREAS.] Crurum armamenta.

CYCLADE.] Veste rotunda, & tenuissima fœminea. Lampridius in Alexãdro Seuero, Matronas aurẽ Regias contentas esse debere vno retinaculo, atque inauribus & baccato monili, & corona cum qua sacrificium accerent, & vnico pallio auro sparso, & cyclade, quæ sex vnciis auri, plus non haberet. Et Suetonius in Caligula de eodem, ait Armillatus in publicum processit aliquando cericatus, & cycladatus.

PANNICVLVS BOMBYCINVS.] In Assyria, Bombyces vermes quidam telas aranearum modo texunt, ad vestem luxumque fœminarum, Bithynia condita est à Phœnice, qui Phœnicibus quasdam literas tradidit ad scribendum, vermiculum instituit, vnde & color ille Phœniceus dictus est, qui postea litera mutata, dicitur puniceus, vt ait D. Hieronymus in Chronicis Eusebij. Tibullus.

Illa gerat tenues vestes, quas fœmina Coa.
Texuit auratas disposuitque vias.

FASCIA LIBRO.] Ligamen denso libro, volumine, vestium. nam succinctæ ludebant, cum subsiderent replicabatur fascia.

SCAPHIVM.] Vas quo vtebantur ad mingẽdum. & matella in qua meiunt fœminæ, author Iulius Pollux. Martialis lib. 4. ad puerum suum.

Te potare decet gemma qui mentora frangis,
In scaphium mœcha Sardanapale tua.

NEPTES LÆPIDI, CÆCIVE METTELLI, GVRGITIS, AVT FABII.] Neptes nobilissimorum virorum, hoc loco citat, vt de mulieribus iis iudicent. Lepidus bis consul fuit, Pontifex Maximus & Censor collega Fuluij Flacci. Metellus Cæcus oculos amisit, cum Palladium raperet ex incensa Vestæ æde, bis consul fuit, Dictator, Magister equitum, & Censor. Fabius Gurges ab Ptolomæo legatus matronas ad populum stupri dãnatas pecunia mulctauit, ex qua mulcta Veneris ædem, quæ prope circum est faciendam curauit. optimo ergo iure citat neptes Fabij, Gurgitis, vt pote ex eo natas qui vitia mulierum exosus fuerit, domueritque. hic Gurges fuit filius Quinti Fabij Censoris.

QVÆ LYDIA.] Quæ saltatrix, & scenica sũpserit hos habit⁹ quos sumitis.

ASYLI.]Nomen gladiatoris,maiore,inquit verecundia viuit mima vxor gladiatoris Asyli,quàm matronæ nostris temporis.

AD PALVM GEMAT.]i.Se non exercet ad palum.pugiles cum feriunt aduersarium,gemunt,vt corpus intendatur,non quod doleant, ad quod alludit Poëta.

ORBA TIGRIDE PEIOR.] Tigrim Hircani,& Indi ferunt animal velocitatis tremendæ, vbi vacuum cubile reperit fœtu, fertur præceps odore vestigans: ingresso demum raptore nauim, irrita færitas sæuit in littore. Mart.lib.4.in Ligurinum.

Non tigris catulis citata raptis
Non dipsas medio perusta sole,
Nec sic scorpius improbus timetur,
Huc fert pedes, & illuc
Vt tigris orba natis.
Cursu furente lustrat,
Ganticum nemus, sic
Frenare nescit iras.

FICTA PELLICE.[Simulans se pati pellicem. Ouid.
Quos ego seruaui, pellex amplectitur artus.

IN STATIONE SVA.]Metaphora à militibus,qui sunt in statione, quoniã milites semper ad ambulandũ parati sunt, quacunque illis hora iubeatur.

CVRRVCA.] Auicula,oua cuculli sua esse existimans fouet. Arist.lib. 6.de natura animaliũ,Metaphoricos is est, qui alienos liberos pro suis educat.

ZELOTYPÆ SCRINIA MOECHÆ.] Cistæ, adulteræ vxoris, quæ fingit Zelotypiam,aperiantur. Hora. *Calamum & chartas,& scrinia posco.*

QVINTILIANÆ.] Quint. orator egregius,dic orator colorem ad defensionem causæ.

HOMO SVM.]Fragilis,prona in malum ab adolescentia.

VELLERE THVSCO.] Lana nascente in Thuscia,lanificio.

HANNIBAL.]Dux Carthag.

COLLINA IN TVRRE.]In Collino monte:nam Senatus censuit, vt Hannibale proximo vrbi,consules ponerent castra inter portam Collinam,& Exquilinam.

ORBEM.]Mundum victum à Romanis,sumit vindictam de Romanis.

FLVXIT AD HISTROS.]Ad illos populos qui sunt in extremis oris Italiæ. populi voluptatibus addictissimi sunt,ab illis histriones dicuntur,si Festo credimus.

SYBARIS COLLES.]Sybarim ciuitatem Achiui condiderunt in Italia. Sybaritæ populi voluptatibus dediti.Strabo lib.6. Mart.

Musæi pathicissimos libellos.
Qui certant Sybariticis libellis.

Ex quo paupertas Romana desiit,ab eo tempore Romam confluxisse Sybariticas Rhodias,Tarentinas delitias. Plutarch. in conuiuio septem sapientum,morem fuisse scribit Sybaritis, mulieres ab vsque anno priore, ad conuiuia vocandi,vt veste,auroque moliri, exornareque per ocium se possent,sed & Maxim.Tyrius in discertatione tertia de voluptate,primos

enumerat Sybaritas inter eos populos,quos vult molliſſimos delicioſiſſimoſque videri,neque non Sybariticas ſaltationes commemorat.

RHODOS ET MILETOS.]Ciuitates in Græcia Luxuria Rhodia,& Mileſia in vrbe Roma nata eſt.

TARENTVM.]Florus ſcribit Tarentum quondam Calabriæ,& Apuliæ caput,poſitum in ipſis maris Hadriatici faucibus,coronatum, quia coronati cœnabant.

CONCHA.]Amphora non calicibus.

PERFVSA MERO.]Vnguenta in potu.Brodæus miſcell. lib. 4. cap.4.

TECTVM.]Tectum ebriis ambulare videtur, & lucernæ præ vertigine duplices apparent.

QVA SORBEAT ACRA SANNA.]Reſpiret occupato ore in contemptum Deæ.ſanna querela ex ſonitu narium. Nonius ſannam vocat ronchum à ſtertente temulenta editum.

QVA SANNA.]Qua oris diſtortione Tullia rideat arã pudicitiæ. Perſius, *Poſticæ occurrite ſannæ.*

TVLLIA.] Mulier.

COLLACIA MAVRÆ.]Libri antiqui habẽt collactea,pro collectanea,quæ eodem lacte nutrita eſt.

CAPER.]Grammaticus,n.p.m.i.manus vel præterit & irridet, cùm deberet venerari.

COLLACIA.]Nomen eſt mulieris.

MICTVRIVNT.]Cum pruritu emittunt vrinam.

SIPHONIBVS.] Iactationibus luteis,vel fiſtulis, quibus aqua fluit, à ſonitu quem videntur exprimere meientes. Deam vrina aſpergunt.

INQVE VICES EQVITANT.]Vt altera alteram ineat.

BONÆ SECRETA DEÆ.]Sacra bonæ Deæ,que cum ſceleribus fiebant.

NOTA.]Quia ſcimus qualia erant.

TIBIA LVMBOS.]Cum carmina lumbum intrant.Perſius.

LVNA TESTE.]Nocturno tempore.

CVM TIBIA.]In illis ſacris tibia vtebantur.

MÆNADES.] Bacchantes mulieres,ſacra bonæ Deæ,æque ſacrilega,ac Bacchanalia.

SAVFELLA.]Matrona infamis.

PRÆMIA COXÆ.]Subleuatæ, vel ad certamen facit criſſare vetus Scholiaſtes,adorat frictum,quia genibus incuruatur ad frictum coxæ,fœmoris.

PRÆMIA VENEREÆ VOLVPTATIS.]Prouocat melius libidinatura.

MEDVLLINÆ.]Duæ Medulinæ eodem fuerunt tempore,ex quibus vna Valerio Claudio nupta fuit,altera Neroni, nota omnibus probris, quam hic ſignificat:poſterior honeſtioris famæ fuit.

CRISSANTIS.]Criſſare mulierum eſt,ceuere virorum, virtus illa æquiparatur virtuti generis.

LAOMEDONTIADES.]Priamus Laomedontis filius,ſenes intelligit.

NESTORIS HERNIA.]Teſticulorum tunica Neſtoris ſenio rupta erat, & frigida, quæ ab inferioribus partibus inteſtina deducit. hernia dicitur à duritie pellis, Mart.lib.1.81.

Ingens iratis apparuit hernia sacris.

VENIET COVDVCTVS AQVARIVS.] Solitus mercede constituta aquam inferre. conductus ad venerem peragendam.

DORMITAT ADVLTER.] Si adulter dormiat, & non veniat.

QVÆ PSALTRIA.] De psaltria, i. Clodio dicit, qui templum bonæ Deæ ingressus habitu psaltriæ, adulterium admisit.

DVO CÆSARIS ANTICATONES.] Duos libros quos Cæsar scripsit contra Catonem Vticēsem. pugillares illi erant teretes. Suetonius in Iulio Cæsa.

TESTICVLI SIBI CONSCIVS.] Templum non licet ingredi, ne murem masculum.

SYMPVVIVM.] Vas ligneum sacrificiis aptum, in quo pontifices lauare solebant. Sigon. & Cic. 3. de Legibus.

CLODIVS.] Sumpta muliebri veste, Clodius Pompeiam Cæsaris vxorem in sacris bonæ Deæ violare voluit. Suet. in Iulio: in Corneliæ autem locum, Pompeiā duxit Cn. Pompei filiam, L. Syllæ neptem: cum qua deinde diuortium fecit, adulteram opinatus à Publio Clodio, quem inter publicas ceremonias penetrasse ad eam muliebri veste, tam cōstans fama erat, vt Senatus quæstionem de pollutis sacris decreuerit.

CLODIVS.] Id est adulter.

VATICANO.] Vaticanus collis Romæ fuit, sic appellatus, vt ait Festus, quod eo potitus est populus Romanus vatū responso, expulsis Hetruscis.

PEDIBVS QVÆ CONTERIT.] Quæ suis pedibus ambulat.

LONGORVM VEHITVR CRVICE SYRORVM.] Mart. lib. 9. in Lupum

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.

Seruorum ex Syria. antiquitus seruis nomina ex gentibus suis ponebantur.

OGVLNIA.] Matrona pauper.

LEVIBVS.] Politis iuuenibus.

CERVICAL.] Puluiar. Ceruicalia autem eo quod ponantur sub ceruice dicuntur. Isidorus.

ET QVOD ABORTIVO.] Poculo faciente abortum, vel alia ratio quare spadonibus delectētur, quia non concipient, & ideo abortiuos non faciēt.

HELIODORVS.] Medicus.

TONSORIS DAMNO.] Quia non lucrabitur, nam eum nōn tondebit, quia non producit barbam.

BILIBRES.] Duarum librarum.

CVSTODEM VITIS ET HORTI.] Priapum.

BROMIVM.] Puerum ephœbum. Mart. lib. 4. ad Phœbum,

— sic denique non sint.

Tam longæ bromio quam tibi Phœbe comæ.

NVLLIVS FIBVLA.] Fibulam habent tragœdi, ne coēant.

VOCEM VENDENTIS PRÆTORIBVS.] Prætores, qui ludis præerant, adolescentes emebant, qui cantica peragerent.

SARDONYCHES.] Lapilli pretiosi ita appellati: de quibus vide Isidorum.

TESTVDINE.] In cithara.

HEDIMELES.] Citharœdus.

TENER.] Ad ætatem retulit.

DE NVMERO LAMIARVM.] Nobilium. Lamus Rex Formiarum fuit in Campania.

NOMINIS ALTI.] Superbi & alti sanguinis.

IANVM VESTAMQVE.] Numina Romanorum.

AN CAPITOLINAM DEBERET POLLIO.] Olympiam coronam, id est sacrificabat nobilis matrona, vt sciret vtrum Cytharœdus Pollio eius amasius in agone Capitolino accipere posset coronam. quercum dicit, quia inde solebant coronari. Mart.

— cui Tarpeias licuit contingere quercus.

CITHARA.] Pro citharœdo.

DICTATAQVE VERBA PROTVLIT.] A sacerdote ad Deos.

VARICOSVS FIET ARVSPEX.] Plenus varicibus. varix vena in suris inflexa, vel obtorta, præ nimio pondere nasci varices dicuntur, si stantes, poblitibus fuerimus innixi. Auicenna, varicosus sanus non est, ait lex 50. D. de ædilitio edicto.

CVMQAE PALVDATIS.] Euntibus ad militiam, paludatis scilicet. paludamentum est, inquit Nonius, militaris vestis, quę nunc chlamys Græca appellatione dicitur.

QVID SERES, QVID THRACES.] Scythiæ populi.

SECRETA NOVERCÆ, ET PVERI.] Quid nouerca agat secreto cum priuigno.

ARMENIO, PARTHOQVE COMETEM.] Huius stellæ ortus, magnum portendit regibus exitium, qui hostes Romanorum erant.

NIPHATEM.] Inundasse Armeniæ fluuium,

In populos Armeniusque tenens,

Voluentem saxa Niphatem. Lucanus.

SVBSIDERE TERRAS.] Terræ motum fieri.

CONCHAS.] Vasa.

CASTRA.] Instrumenta balnearia.

•MASSA.] Plumbea se exercebant, antequam lauarentur.

Lassata graui ceciderunt brachia massa. Pondere.

ALIPTES] Vnctor, ad coitum prouocans.

CRISTÆ.] Genitalibus.

OENOPHORVM.] Vas vinarium.

SEXTARIVS.] Duo sextantes, & quincunces, vasa vinaria, ex mensura dicta, vel sextarius congij sexta pars.

RABIDAM FACTVRVS OREXIM.] Rabidum appetitum.

MARMORIBVS.] In triclinio marmoreo.

LVLEO FERIT INTESTINO.] Cibo iam decocto ex intestinis profluente, alij incude, & luteo Vulcano: vel lutum intestinum, hoc est cibi potusque incoctam massam. Curio.

PELVIS.] In quam recipiunt ministri vrinā, & vomitum. natant pauimenta vino Falerno nobili. lutum faciunt mensæ eorum, ac teuromata mero iugiter madent.

DECIDERIT SERPENS.] Ita post vomitum bibit, vt serpens quando

in dolium vini cecidit, bibendo vomit,& vomendo denuo bibit.

ILLA TAMEN GRAVIOR.] Statiliam Messallinam insectatur, quæ post quatuor matrimonia diuerso exitu soluta, postremo nupsit Neroni:post quem interemptum,& opibus,& forma,& ingenio plurimũ viguit: consequuta est vsum eloquentiæ, vsque ad studium declamandi.

PERITVRÆ IGNOSCIT ELISÆ.] Didoni Reginæ, quæ ob discessum amasij Æneæ,sibi mortẽ consciuit. auctor Virg.lib.4.Æneid.

VNA LABORANTI POTERIT SVCCVRRERE LVNÆ.] Sonitum fieri adsolet quando Luna deficit, putabant veteres Lunæ subueniri posse sonitu. hinc Liuius Decade 3. lib. 6. prælium non solito modo clamore ac tumultu est cœptum, sed ad alium virorum,equorum, armorumque sonum disposita, in muris Campanorum, imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ cieri solet, edidit clamorem,vt auerteret pugnantium animos. Lunæ minus nocere credebant verba veneficarum, à quibus iam in defectu diripi credebant, si ab ea non exaudirentur. Ouidius.

Cum frustra resonant æra auxiliaria Lunæ.

IMPONIT FINEM SAPIENS.] Philosophiam tractat.

CRVRE TENVS TVNICAS SVCCINGERE DEBET.] Debet accipere vestem oratoris. Substringere legit Iosephus Scaliger Iulij Scaligeri filius.

CÆDERE SYLVANO PORCVM.] Syluanus aruorum & pecoris Deus erat, cui mares sacrificabant; mulieribus non licebat sacrificare Syluano,sed Cereri,id est facere quæ faciunt viri literati in syluis.

QVADRANTE LAVARI.] Lauari quadrante:more Philosophorum. quadrans est quarta pars assis.

DICENDI GENVS.] Rhetoricam,est enim benedicendi scientia.

SERMONE ROTATO TORQVEAT.] Enthymema succinctum, in quo altera præpositionum,vt fiat syllogismus perfectus, quod vrget maxime aduersarium. Muretus variarum lectionum lib. 8. c.21. sermonem rotatum arbitror orationem conuersione conclusam,atque comprehensam ambitu.

PALEMONIS ARTEM.] Grammatici magistri Quintiliani artem, literas dicebat secum esse natas,& secum morituras.

ANTIQVARIA.] Antiquarum rerum inuestigatrix.

OPICÆ CASTIGAT AMICÆ.] Barbaræ inepte loquentis.

SOLECISMVM] Vitiosam verborum compositionem.

ELENCHOS.] Vniones, margaritas oblongas. Plinius.

PANE TVMET FACIES.] Medicamen ad faciem tendendam.

PINGVIA POPPÆANA.] Poppæa Domitij Neronis vxor, adeò diligens in excolenda forma fuit,vt eam quinquaginta asinæ sequerentur,missam in exilium; quarum lacte candorem corporis prouocabat, vt ait Plinius lib.2. cap.4. decessit calce à Nerone percussa. Tacitus ann.lib.16. post finem ludicri Poppæa mortem obiit. fortuita mariti iracundia, à quo grauida, ictu calcei afflicta. est. Iuuen. Poppæana dixit eo quòd à Poppæa inuentus sit fucus ille.

FOLIATA PARANTVR.] Vnguenta ex ſpicis Nardi, vel aliis aromatibus, ac foliis præcioſiſſima, quibus matronæ Romanæ vtebantur ad gratiam & delicias. Martial.

At mea me libram foliati poſcat amica.

TECTORIA.] Vnguenta, propriè incruſtationes parietum, ſed hîc metaphoricos ſumuntur.

HYPERBOREVM AD AXEM.] Ad polum ſeptemtrionalem, id eſt licet eundum ſit ad extremas oras mundi. Hyperborei habitant ſuper Aquilonis flatum: Dicti quod humanæ vitæ modum excedant viuendo vltra centeſimum annum. Feſtus Pompeius.

COCTÆQVE SILIGINIS OFFAS.] Pulmanus. fruſtà panis maceratı cum lacte aſinino ad tollendas rugas.

SILIGINIS.] Candidi panis. ſiligo ſpecies tritici albi.

VLCVS.] Eſt recta, & clauſa malignitas, vulnus vero hiatus patens.

LIBRARIA.] Serua, à librando penſo, lanipendia.

COSMETÆ.] Eas dicit quæ ornamentis præſunt. ſenſus, ornatrices mulieres reſtituunt tunicas.

LIBVRNVS.] Lecticarius ſeruus. ex Liburnia mittebantur fortiſſimi ſerui.

SCVTICA.] Flagellum ex pelle. Mart.

Sruticaque loris horridis Scita pellis.

Horat.

Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagellum.

PENDERE.] Perſoluere.

TRANSACTA DIVRNI.] Ratiocinium diurnum.

PROFECTVRA DOMO SICVLA NON MITIOR AVLA.] Tyrannorum, & Phalaridis, & Dionyſij, Sicula aula ſemper tyrannos aluit.

COGNITIONE PERACTA.] Rationibus recognitis & excuſſis.

ISIACÆ.] Apud templum Iſidis.

LENÆ.] Conciliatricis, quia in hortis templorum adulteria committuntur. Iſis Ægyptiorum Dea fuit, cuius ſacrificia Romam tranſlata fuere: in eius templo maxima dabatur adulteriorum occaſio.

CRINEM.] Componit crines dominæ ipſa lacerata per iram.

PSECAS INFOELIX.] Ancilla ornatrix. Pſecades ſunt minutæ partes aquæ, nominis ethymologiam ſumpſit ab arte, Pſecas eſt ancillæ nomen apud Ouid. ex Dianæ miniſtris vna.

CINCINNVS.] Capillus criſpus. M. Varro de re ruſtica, is eſt coliculus viteus intortus vt Cincinnus. Cincinnati à Cincinno dicti ſunt, quorum inſignia fuere crines, vt ait Suetonius in Caligula, his verbis, loquens de Caligula: vetera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit: Torquato torquem, Cincinnato crinem, hinc falſa apparet eorum opinio, qui arbitrantur eos non eſſe nobiles, quorum inſignia nomen referunt.

TAVREA.] Scutica ex corio tauri. ſacra pagina 2. lib. Machabæorum, cap. 7. his verbis. Contigit autem ſeptem fratres vna cum matre ſua apprehenſos, compelli à Rege, edere cōtra fas carnes porcinas,

flagris, & tauceis cruciatos. Tarquinius Superbus excogitauit vincula, taurea, fustes, latomias, carceres, exilia, Eusebius & Eutropius. Brittannicus existimat Taurea nomen matronæ, fictum à feritate tauri, sed hallucinatur.

ALTERA LÆVVM.] Crinem qui est in sinistra parte.

EMERITA.] Quæ nō ornatrix est, sed iam quasi emerita cessat, Papinius.

Cæsar ab emerito iubeat discedere bello.

COMPAGIBVS.] Connexibus.

ANDROMACHEN.] Hectoris vxorem fuisse oculis claris, candidam, modestam, longuam, formosam, sapientem, & pudicam, Dares Phrygius scribit.

PYGMÆA.] Pygmæi montana Indiæ tenent, qui longissimi sunt, non excedunt duos pedes & quadrantem.

COTHVRNIS.] Altis calciamentis, subere confectis. Plinius.

BELLONAE MATRISQVE DEVM CHORVS.] Sacerdotes Deæ belli Palladis, & Cybeles matris Deorum.

SEMI-VIRO OBSCOENO MINORI.] Sacerdotum matris, Deum præses. semiuir, quia abscindebantur illi testiculi.

OBSCOENIO MINORI.] Quia minorem penem habet, ideò reuerenda facies eius est.

RVPTA TESTA.] Cultro petrino. Mart.

Abscissa est, quare Samia tibi mentula testa.

TYMPANA PLEBEIA.] Id. sacerdotes minores & plebei, nam ministri Cybeles, qui eum comitabantur, pulsabant tympana, aliaque instrumenta.

PHRYGIA VESTITVR BVCCA TIARA.] Sacerdotis habitu, Tiara galea sacerdotis est, quæ per malas veniens, mento subligatur. bucca est extremitas oris. quæ vestitur tiara Phrygia, pileo Phrygio. hinc Isidorus pileum est ex bisso rotundum, quasi spæra media, caput tegens sacerdotale, & in occipitio vitta constrictum. hoc Græci, & nostri tiaram, vel galeam vocant.

AVSTRI.] Qui flans in Septembri febrem generat.

LVSTRAVERIT.] Purgarit ouis, quia admittebantur ad expiationes. in sacris Isidis adhibebantur oua. Brodæus lib. 1. cap. 25.

ET XERAMPELINAS.] Veteres vestes scilicet, quæ ad vsum matronarum fuerunt inuentæ, ampellini coloris, qui inter coccinum & muricem medius est. ξηρὸν verò siccum significat, vestes ergo illæ erant coloris aridæ rosæ.

TYBERI MERGETVR.] Persius.

Hæc sanctè vt poscas Tyberino in gurgite mergis,
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

SVPERBVM TOTVM REGIS AGRVM.] Brutus agrum Tarquinij superbi totum Marti consecrauit. vnde campus Martius appellatur. Liuius lib. 1. Decadis 1.

SI CANDIDA IVSSERIT IO.] Io. Inachi fluuij filia, quam Iupiter violauit, & deprehensus à Iunone, in vaccam transfigurauit, celare volens factum

factum, quod Iuno sciens, dono eam sibi petiit, & accepit. Io vaga dicitur à Portis quia Argo à Mercurio interfecto, cui fuerat postea quam à Ioue in vaccam versa est, à Iunone custodienda, tradita, vsque eo vagata est, donec in Ægyptum peruenit, œstro à Iunone immisso, qui assiduè eam insectaretur. Herodotus lib. 1. Sensus Sacerdotes Isidis iusserit ex Isidis imperio. Eusebius in Chronicis 1. apud Agros regnauit Inachus annis 50. Inachi filia Io, quam Ægyptij mutato nomine Isidem vocant, & colunt. A patre Inacho, Inachus fluuius apud Argos, à filia Ione Bosphorus nuncupatur.

Meroe.] Ciuitas est Ægypti, vel insula Nili.

In æde isidis.] In campo Martio est templum Isidis vetustum, vt arbitror ex Ægypto Romam nauibus deferebantur. Brodæus Miscellan. capit. 2. libro 4.

Ovili.] Quia ibi Romulus & pastores adsueuerant pecora pascere, aut regiam aulam Romuli intelligit. Liuius Decadis 3. lib. 6. citatis centuriæ senioribus datum secreto, in ouili cum his colloquendi tempus. Strabo lib. 5. Dictatorem Syllam, Marianos ad quatuor ferè millia, quia arma proiecerant in campo Martio ad ouilia coactos, immissis militibus triduo iugulasse. Ouile erat locus in campo Martio. Hîc sumitur pro toto campo: & apud Lucanum,

Et misera maculauit ouilia Roma.

Proxima svrgit.] Vel quæ ædificata est prope septa campi Martij, in quibus tyrones, vt in ouili retinebantur, & exercebantur.

Qvi grege lanigero.] Caluo, quia caput radebat lineis induto. Mart.

Linigeri fugiunt calui sistrataque turba.

Derisor Anvbis.] Anubis, Osiridis filius fuit. Ægyptij Deum illum capite canino fingunt. dictus Anubis, quia caput caninum accepit per mysteria. Propertius,

Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubim.

Derisor Antistes.] Quia irridet Deum, petens veniam, si in sacrificiis non abstinuerit à concubitu.

Cadvrco.] Membrum mulieris intelligit, cum sit membri velamen candidum. Scholiastes. sensus violato lecto matrimoniali per eos dies, quibus sacra Isidis celebrabantur. vel violato cadurco violatis sacris Isidis, quæ celebrabantur à sacerdotibus linigeris. Ouid.

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Argentea Serpens.] Quæ est in templo Isidis. Ouidius lib. 2. Amorũ.

Pigraque labatur circum donaria serpens.

Ansere.] Quia carne anserina vescebantur.

Popano corrvptvs Osiris.] Seductus placenta tenui, & rotunda, Suidas. Iulius Pollux ait popanum placentam esse, qua in sacrificiis antiqui vtebantur.

Cophino, foenoqve relicto.] Negotiis omissis, & supellectile relicta. relictis syluis venit in vrbem Iudæus.

Cvm dedit ille locvm interpres legvm Solymarvm.]

Cum Gallus Sacerdos ac lustrator abscesserit, Iudæa mulier aduenit, quæ in aurem susurrando, sub obtentu religionis, aliquid petit.

LEGVM SOLYMARVM.] Iudæorum. Hierosolyma autem olim Solyma vocabatur. Tacitus lib. 5. hist. Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ vrbi, Hierosolymam nomen è suo fecisse, Eusebius. etiam Chærili Poëtæ testimonio, Hebræos Solymos olim dictos censet. Mart.

— me cruciat Solymis quod natus in ipsis.

Pædicas puerum Verpe Poëta meum.

SACERDOS ARBORIS.] Syluæ & nemoris, quæ vt Sacerdos Dodonæ sub quercu responsa dare potest. Claudianus,

— te pulcher Enipeus.

Celsaque Dodonæ stupuit rursusque loquutæ.

Alludit Iuuenalis in hoc loco ad Dodoneas Sacerdotes, quia Iudæi tunc syluas incolebant. Satyra 3.

& eiectis mendicat sylua camœnis.

Iouis phanum in Dodona erat Chaoniæ ciuitate. Natalis Comes. Iupiter homines ab esu carnium humanarum absterruit, & illos ad esum glandium conuertit: meruit iure optimo vt glandiferæ quercus consecrarentur, atque in Dodone monte qui frequentissimis quercubus vestiebatur, in Chaonia Molossorum regione, nobile fuit C. Chaonij, siue Dodonæ patris oraculum, quod à petentibus sortes consulebatur, vbi columbæ dicebantur dare responsa.

ARVPEX.] Ex Armenia oriundus, vel Comagena regione Syriæ, quæ parua est. Tacitus.

CHALDÆIS.] Astrologis, quorum primi fuerunt Chaldæi.

FACIET QVOD DEPERAT IPSE.] Egnatium Philosophum intelligit, qui filiam Barbareæ Sorani, quæ cum hortatu ipsius descendisset ad magicam, detulit Neroni. Ludouicus Dorleans vir miræ eruditionis censet legendum, ad magicam discendam esset hortatus. Ob quam rem mori cum patre iussa est à Nerone, Tacitus.

CREDENT A FRONTE RELATVM HAMMONIS.] Credent, ac si à Ioue ipso Hammone sit dictum.

TABELLA.] In qua computare solent Astrologi.

MAGNVS CIVIS OBIT.] Galba Imperator intelligitur. Otho conatibus Galbæ primus accessit, & spem imperij cepit, magnam quidem, & ex conditione temporum, sed aliquanto maiorem ex affirmatione Seleuci Mathematici, qui cum eum olim superstitem Neroni spopondisset, tum vltro inopinatus aduenerat, imperaturum quoque breui repromittens. Suet. in Othone.

SONVIT SI DEXTERA.] Si iam in catenis fuit, aut in castrorum, custodia. Is qui noxa erat, catenam manui dextræ alligatam habebat, quæ eadem militis sinistram vinciret. Seneca Epist. 5. quemadmodum eadem catena, & custodem, & militem copulat, sic ista quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt, in Actis Apost. cap. 12. de diuo Petro. dormiebat inter duos milites, duabus alligatus catenis, hæc Lipsius

reip. literariæ dec... in lib.3. Ann. Taciti.

NEMO MATHEMATICVS.] Quasi ob nimiam peritiam fuerit damnatus.

GENIVM.] Deum naturæ, siue dominū Horoscopi fauentem habebit.

IN CYCLADA MITTI.] In insulam Cycladum relegari. sensus. peritissimus Astrologorum ille est, qui mittitur & relegatur in Cyclada.

PARVA CARVISSE SERIPHO.] Cui contigit ab exilio reuocari. Seriphus Cycladum insula, in quam relegantur noxij. Tacitus lib.2. Ann. Vestilia licentiam stupri apud Ædiles vulgauerat, marito prætendente sexaginta dies ad consultandum datos, necdum præteriisse, satis visum de Vestilia statuere, eaque in insulam Scriphon abdita est.

ICTERICÆ.] Consulit. Icteros morbus est regius. Plinius. Mart. lib.12.

Dicet & Ictericam se forsitan altera mœcha.

TANAQVIL.] Pro qualibet vxore posuit hoc nomen, hæc autem Tanaquil Tarquinij prisci vxor dicitur, mathematicam artem optime scisse: viro prædixerat summum rerum culmen. Liuius Decadis 1. lib.1.

SYDVS SATVRNI.] Quod contrariū est nascentibus pueris. Propertius,

Et graue Saturni sydus in omne caput.

LÆTA VENVS.] Lucanus, Veneris salubre sydus.

PINGVIA SVCCINA TRITAS CERNIS EPHEMERIDAS.] Quasi dicat tolerabilior est illa, quæ consulit alium, non ferenda verò ea, quæ ipsa Mathesim profitetur, cum per dies singulos res gestæ scribuntur, Ephemeris vocatur. Plinius Ephemeridas vocat libellos, in quibus acta quotidiana continentur. Ouid.

Inter Ephemeridas melius tabulasque iacerent,
In quibus absumptas fleret auarus opes.

Calendarium etiam vocari, nemo ignorat, exemplo calendarij fœneratorum: sic etiam calendarium & Ephemerides etiam, hodieque vulgo pro tabulis fastorum, aut lunaribus Astrologorum. Iosephus Scaliger in Catullum, de quibus hîc loquitur Iuuenalis.

SVCCINVM.] Membrana Mathematicorum, vt actus diurni, quæ assidua tractatione colorem suum mutauit, & eplocea facta, colorem fecit, vt succinum. Succinum, fului, cereiq; coloris, fertur arboris succus esse, & ob id succinū appellari. Isidorus, Et Tacitus lib. de moribus & populis Germaniæ, sed & mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada, atque in ipso littore legunt, si naturam succini admoto igne tentes, in modum tedæ accenditur, alitque flammam pinguem, & olentem, mox vt in picem, resinamve lentescit, succum tamen arborum esse intelligas.

AD PRIMVM LAPIDEM.] Positum in via publica extra vrbem. Plutarchus ait C. Gracchum singulis milliariis columnas lapideas spatiis signa præferentes constituisse. Martialis,

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum

HORA SVMITVR EX LIBRO.] Horam ex signis eligit conuenientem, vel ex Astrologia.

FRICTVS OCELLI.] Hinc oculus mihi dexter salit. angulus ocelli fri-ctus, fri&tu exasperatus. id est de minima re consulit Mathematicum.

INSPECTA GENESI COLLYRIA POSCIT.] Hora qua genita est. Collyria sunt medicamina oculorum. Horat.

Oculis collyria lippus.

PETOSIRIS.] Astrologus insignis Ægyptius, teste Plinio, libro 7. in circo maximo circa metas solebant sortili considere, qui sortes dabant vulgaribus Acron. hinc plebeium factum vocat infra.

POPYSMA.] Turnebus lib. 4. cap. 15. Metoscopo, & Chiromanti roganti sibi manum ostendi, & frontem præbebit.

CRIBRVM POPYSMA.] Id est plausibus excipiet, & adulabitur, vt sibi fata sua canat. Plinius lib. 28. cap. 2. popysmis ait adorari fulgetras, id est eas adorari leniter complosis manibus, id est cauis, velut ad leniendum Iouem iratum. alij præbebit popysma, copiam sui faciet.

PHRIX AVGVR.] Ille Phrix qui Romæ moratur.

SENIOR.] Pontifex.

CONDIT.] Sedat fulgura, vel condit terræ. Lucanus.

— Aruns dispersos fluminis ignes,
Colligit, & terræ tacito cum murmure condit.

PHALAS.] Phalæ, vt inquit Nonius, turres sunt ligneæ, quæ apud veteres propter spectatores erigebantur in circo. Ennius,

Malos diffundunt, fiunt tabulata, phalæque.

In circo Romano erant Astrologi.

DELPHINORVM COLVMNAS.] Templum à Cn. Domitio extructum intelligit, à Scopa factus in magna dignatione Cn. Domitij in circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis, Achilles, atque Nereides supra Delphinos, & cete & hippocentauros sedentes sunt. Locus ille vocabatur ad delphinorum columnas. Plinius lib. 30. cap. 5. consilium capit, inquit poëta, à diuinatoribus & astrologis, qui in circo ante phalas, & delphinorum columnas versabantur.

SAGA.] Sagum vestimentum militare, vt docet Nonius.

CAVPONE RELICTO.] Primo marito, nubat sagario & negotiatori.

PVERPERA LECTO.] Vix est vt sustineat puerperium diues mulier, puerpera, quæ puerum peperit.

ÆTHIOPIS PATER] Conceptus ex seruo Æthiope. gaude marite infœlix, quod abortum fecerit, & portige illi quicquid detur à venefica.

NVNQVAM MANE VIDENDVS.] Cui nolles manè occurrere, propter malum omen. hinc alibi,

Et qui per mediam nolles occurrere noctem.

AD SPVRCOS DECEPTA LACVS.] Ad Villabrensem paludē, quæ iuxta Auentinum montem erat. Spurcum significat obscœnū, obscurū, lutulentū, & fœtidū, illuc deferebantur expositi partus, atque proiiciebantur.

DECEPTA VOTA.] Quia suppositus est filius.

PETITOS PONTIFICES SALIOS.] Salij Martis Sacerdotes, quiquidem è generosis eligebantur, vtpote ex nobilissimis, & patriciis. Ouid. Fastorum libro 3.

Iam dederas Saliis à saltu nomina ducta,
Armaque & ad certos verba canenda modos.

SCAVRORVM NOMINA.] Nobilissimorum nomina, de quibus Satyra 2.

DOMIBVS ALTIS.] Nobilibus familiis.

THESSALA VENDIT PHILTRA.] Veneficia, quibus amor conciliatur. In Thessalia venena fiebant minimo. Horat. lib. 2. epist. 2.

PORTENTA THESSALA RIDES.] Id est miracula rerum, quæ edunt Thessali carminibus, & venenis.

CÆSONIA PVLLI.] Caligulam Cæsarem significat, quem adeò medicatis potionibus vxor Cæsonia in amorem suum illexit, vt de nimia impatientia furens, sæpe eam nudam amicis ostenderet.

VT AVVNCVLVS ILLE NERONIS.] Auunculus Neronis Caligula imperator, qui ab vxore dato hippomane, in furorem versus est, quo correptus multo variis suppliciis affecit, Suetonius in Caligula, Creditur potionatus à Cæsonia vxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit.

TREMVLI PVLLI.] Mox scilicet nati equini, cuius in fronte est pellicula instar pilei, quæ detracta ad amorem prouocat.

ARDEBANT CVNCTA.] Sonante Claudio ex furore.

SI FECISSET IVNO MARITVM INSANVM.] Iouem scilicet, in multos sæuiebat vnius imperatoris insania, ac super Iouis insaniam totus mundus agitaretur.

AGRIPPINÆ BOLETVS.] Agrippina priuignum suum Britannicum veneno necauit, vt Neroni defferretur imperium. Tacitus lib. 12. & 13.

LIVIDA ADIPATA.] Dulcia placenta veneno plena, liuida, lubrica, dulci suffusa succo. Adipata, à nomine adeps, adipis. Nonius. Adipatum veteres honestè pro pingui & succulento, & opimo posuerunt. Cic. de Orat. adsciuerunt suis artibus opimumquoddam tanquam Adipatæ dictionis genus.

PAPAS.] Nomen venerationis est à Syracusis tractum, quo etiam nomine Scytharum nonnulli Iouem, Pappæum appellant, teste Herodoto. Papas Græce dixit, Latine pater, & pater nutritius & custos, ideò summum Pontificem Papam vocamus. Tertullianus lib. de Pudicitia, bonus pastor, & benedictus Papa concionaris.

COTHVRNVM.] Stylum sublimem, qualis Tragœdis conuenit.

FINEM LEGEMQVE PRIORVM.] Satyricorum.

GRANDE SOPHOCLEO.] Id est tragœdiam scribimus hiatu Sophocleo, hoc est, quo Sophocles vsus est. Mart. lib. 4. ad Varronem.

Varro Sophocleo non inficiande cothurno.

MONTIBVS RVTVLIS IGNOTVM.] Quod quidem carmen nemo ante me fecit in Latio, nunquam tale scelus perpetratum fuisse à matribus, quæ filios necauerint. Poëta Satyricus cecinit in his regionibus.

PONTIA.] Publij Petronij filia, quæ vt adultero nuberet, duos filios veneno sustulit: cuius meminit Mart.

O mater qua nec Pontia deterior.

DE COLCHIDE SÆVA, ET PROGNE.] De Medea. Progne filium suum

occidit popter sororem à marito stupratam, Virg. quarto Georgicon.

Et manibus Progne pectus signata cruentis.

Itcvr.]In quo est sedes amoris.

Ivgis. Particulis montis, quæ sunt in vertice, videtur parte montis labente, reliqua pars retro fugere.

Qvæ compvrat.] Quæ propter auaritiam peccat, vt Eryphile.

Alcestim.] Admetus Thessaliæ Rex graui morbo implicitus, per legatos Apollinem de salute cõsuluit, is respondit posse eum viuere, si quem inuenisset, qui pro eo fata subire vellet. Tentatis igitur omnibus propinquis, amicis, clientibus, & ipsis denique seruis, sola vxor Alcestis inuenta est, quæ pro eo mori voluerit, vt ait Plato, in dialogo de amore.

Belides.] Danaides Ægypti frater, Argiuorum Rex genuit quinquaginta filias, quæ vna nocte viros interfecerunt, vnde apud inferos, supplicij loco illis præscriptum est dolium aqua implere è quo tantundem effluat, quantum infundatur. Tibullus.

Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,
In caua lethææ dolia portat aquas.

Atqve eriphyle.] Amphiarai vxor Eriphyle, monili corrupta à Polynice, latentem virum prodidit, egitque vt ad bellum Thebas contra Adrastum egrederetur, quod tamen velut vates præscius sui exitij multum declinabat, Pausanias. hinc Hor. lib. 3. Ode. 16.

Concidit auguris argiui domus,
Ob lucrum demersa excidio.

Propertius.

Tu quoque vt auratos gereres, Eriphila lacertos,
Dilapsis nusquam est, Amphiareus equis.

Mane clytemnestram.] Notum est Agamemnonem è bello Troiano reuersum, iam, iamque pedem domum inferre conantem, ab Ægisto & vxore Clytemnestra insidijs exceptum, & interfectum esse. Seneca in Agamemnone.

Tyndaris illa bipennem.] Clytemnestra Tyndari filia, vtraque manu tenet securim: hoc inquit interest, quod illa securi occidit.

Insvlsam et fatvam.] Hypallage est, hoc ipsa insulsa & fatua, quasi quę minime apta esset ad tractanda arma. nam securis non potest dici fatua aut insulsa.

Pontica ter victi.] Mithridatem dicit quem Lucullus, Sylla, & Pompeius vicerunt; ideò ter victus dicitur. hic tale sibi fecit medicamentum, vt non posset aliquando veneno petire. sensus, si Atrides maritus prægustaret antidotum Mithridaticum, quo vsus est Mithridates Rex Ponti, res agitur ferro. Mart. lib. 5. ad Cinnam. 77.

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

DECII IVNII

IVVENALIS

SATYRARVM

LIBER III.

SATYRA VII.

Ad Telesinum Poëtam, quòd nulla spes emolumenti sit studiosis, nisi forte ab vno Traiano Cæsare.

ET spes, & ratio studiorum in Cæsare tantùm:
Solus enim tristeis hac tempestate Camœnas
Respexit, cùm iam celebres, notíque Poëtæ
Balneolum Gabijs, Romæ conducere furnos
Tentarent, nec fœdum alij, nec turpe putarent 5
Præcones fieri, cùm, desertis Aganippes
Vallibus, esuriens migraret in atria Cleio.
Nam, si Pieriâ quadrans tibi nullus in arca
Ostendatur, ames nomen victúmque Machæræ,
Et vendas potiùs, commissa quod auctio vendit 10
Stantibus: œnophorum, tripodes, armaria, cistas,
Halcyonem, Bacchi Thebas, & Terea Fausti.
Hoc satius, quàm si dicas sub Iudice, vidi,
Quod non vidisti facíant equites Asiani:
Quanquam & Capadoces faciant, equitésque Bithyni, 15
Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen studijs indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis, Laurúmque momordit.
Hoc agite ô iuuenes: circumspicit, & stimulat vos,
Materiámque sibi Ducis indulgentia quærit. 20

Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum
Præsidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur: lignorum aliquid posce ocyus, & quæ
25 *Componis, dona Veneris, Thelesine, marito;*
Aut claude, & positos tineâ pertunde libellos.
Frange miser calamos, vigilatáque prælia dele,
Qui facis in paruâ sublimia carmina cellâ,
Vt dignus venias ederis, & imagine macrâ.
30 *Spes nulla vlterior: didicit iam diues auarus*
Tantùm admirari, tantùm laudare disertos,
Vt pueri Iunonis auem. sed defluit ætas
Et pelagi patiens, & cassidis, atque ligonis.
Tædia tunc subeunt animos, tunc seque suámque
35 *Terpsichoren odit facunda, & nuda senectus.*
Accipe nunc arteis, nequid tibi conferat iste,
Quem colis, & Musarum & Appollinis æde relictâ,
Ipse facit versus, atque vni cedit Homero
Propter mille annos. At, si dulcedine famæ
40 *Succensus recites, Maculonus commodat ædes.*
Ac longè ferrata domus seruire iubetur,
In quâ sollicitas imitatur ianua portas.
Scit dare libertos extremâ in parte sedenteis
Ordinis, & magnas comitum disponere voces.
45 *Nemo dabit regum. quanti subsellia constent,*
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis posita est orchestra cathedris;
Nos tamen hoc agimus, tenuíque in puluere sulcos
Ducimus, & littus sterili versamus aratro.
50 *Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi*
Consuetudo mali: tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit,
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
55 *Communi ferias carmen triuiale monetâ:*
Hunc, qualem nequeo monstrare & sentio tantùm,
Anxietate carens animus facit omnis, acerbi
Impatiens, cupidus siluarum, aptúsque bibendis
Fontibus Aonidum: neque enim cantare sub antro
60 *Pierio, thyrsumve potest contingere sana*

Paupertas,

Paupertas, atque æris inops, quo nocte diéque
Corpus eget satur est, cùm dicit Horatius, euhoe.
Quis locus ingenio: nisi cùm se carmine solo
Vexant, & domini Cirrhæ Nysæque feruntur
Pectora nostra, duas non admittentia curas? 65
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ currus, & equos faciésque deorum
Aspicere, & qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam si Virgilio puer, & tolerabile desit
Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri. 70.
Surda nihil gemeret graue buccina. poscimus, vt sit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cuius & alueolos, & lænam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor quod mittat amico:
Quintillæ quod donet habet, nec defuit illi, 75
Vnde emeret multa pascendum carne leonem
Iam domitum: constat leuiori bellua sumptu
Nimirum, & capiunt plus intestina poetæ.
Contentus fama iacet Lucanus in hortis
Marmoreis, & Serrano, tenuique Saleio 80
Gloria quantalibet, quid erit si gloria tantùm est?
Curritur ad vocem iucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cum Statius vrbem,
Promisitque diem. tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi 85
Auditur: sed cum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agauen.
Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit histrio. tu Camerinos 90.
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.
Haud tamen inuideas vati, quem pulpita pascunt.
Quis tibi Mecænas? quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter? 95.
Tunc par ingenio pretium: tunc vtile multis
Pallere, & vinum toto nescire Decembri.
Vester porro labor fœcundior historiarum
Scriptores: petit hic plus temporis, atque olei plus:

100. *Namque oblita modi millesima pagina surgit*
Omnibus, & crescit multa damnosa papyro.
Sic ingens rerum numerus iubet, atque operum lex.
Quæ tamen inde seges? terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit historico quantum daret acta legenti?
105. *Sed genus ignauum quod tecto gaudet & vmbra.*
Dic igitur quid causidicis ciuilia præstent
Officia? & magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant, sed tunc cum creditor audit
Præcipue, vel si tetigit latus acrior illo,
110. *Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen,*
Tunc immensa caui spirant mendacia folles,
Conspuitúrque sinus veram deprendere messem
Si libet: hinc centum patrimonia causidicorum,
Parte alia solum russati pone Lacertæ.
115 *Consedere duces: surgis tu pallidus Aiax*
Dicturus dubia pro libertate bubulco
Iudice: rumpe miser tensum iecur, vt tibi lasso
Figantur virides scalarum gloria, palmæ.
Quod vocis pretium? siccus petasunculus, & vas
120 *Pelamydum, aut veteres Maurorum epimenia, bulbi:*
Aut vinum Tiberi deuectum, quinque lagenæ.
Si quater egisti, si contigit aureus vnus,
Inde cadunt partes in fœdere pragmaticorum.
Æmilio dabitur, quantum petet, & melius nos
125 *Egimus: huius enim stat currus aëneus, alti*
Quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curuatum hastile minatur
Eminus, & statua meditatur prælia lusca.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic est
130 *Tongilli, magno cum rhinocerote lauari*
Qui solet, & vexat lutulenta balnea turba,
Pérque forum iuuenes longo premit assere Medos
Empturus pueros, argentum, myrrhina, villas.
Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
135 *Et tamen est illis hoc vtile: Purpura vendit*
Causidicum, vendunt amethystina: conuenit illis
Et strepitu, & facie maioris viuere census.
Sed finem impensæ non seruat prodiga Roma.
Vt redeant veteres? Ciceroni nemo ducentos

Nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens.
Respicit hoc primum, qui litigat, an tibi serui 140
Octo, decem comites, post te an sit sella, togati
Ante pedes. ideo conducta Paulus agebat
Sardonyche, atque ideo pluris, quàm Cossus agebat
Quam Basilus: rara in tenui facundia panno.
Quando licet flentem Basilo producere matrem? 145
Quis bene dicentem Basilum ferat? accipiat te
Gallia, vel potius nutricula causidicorum
Aphrica, si placuit mercedem imponere linguæ.
Declamare doces, ô ferrea pectora Vetti,
Cum perimit sæuos classis numerosa tyrannos. 150
Nam quæcunque sedens modo legerat, hæc eadem stans
Proferet, atque eadem cantabit versibus iisdem.
Occidit miseros crambe repetita magistros.
Quis color, & quod sit causæ genus, atque vbi summa
Quæstio, quæ veniant diuersa parte sagittæ. 155
Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? culpa docentis
Scilicet arguitur quod læuâ in parte mamillæ
Nil salit Arcadico iuueni: cuius mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Annibal implet. 160
Quidquid id est, de quo deliberat, an petat vrbem
A Cannis, an post nimbos, & fulmina cautus
Circumagat madidas à tempestate cohortes.
Quantum vis stipulare, & protinus accipe, quod do,
Vt toties illum pater audiat. ast alii sex, 165
Et plures vno conclamant ore sophistæ,
Et veras agitant lites, raptore relicto,
Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,
Et quæ iam veteres sanant mortaria cæcos.
Ergo sibi dabit ipse rudem. si nostra mouebunt 170
Consilia, & vitæ diuersum iter ingreditur,
Ad pugnam qui rhetoricâ descendit ab vmbra,
Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti: quippe hæc merces lautissima. tenta,
Crysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti 175
Lautorum pueros artem scindens Theodori.
Balnea sexcentis, & pluris porticus, in qua

Gestetur dominus, quoties pluit. anne serenum
180 *Expectet, spargatque luto iumenta recenti?*
Hic potius: namque hic mundæ nitet vngula mulæ.
Parte aliâ longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cenatio solam.
Quanticunque domus, veniet qui fercula doctè
185 *Componit, veniet qui pulmentaria condit.*
Hos inter sumptus sestertia Quintiliano,
Vt multum duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quam filius. vnde igitur tot
Quintilianus habet saltus? exempla nouorum
190 *Fatorum transi: felix & pulcher, & acer:*
Felix, & sapiens, & nobilis. & generosus
Appositam nigræ Lunam subtexit alutæ,
Felix, orator quoque maximus, & iaculator:
Et si perfrixit, cantat bene. distat enim, quæ
195 *Sydera te excipiant modo primos incipientem*
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.
SI FORTVNA volet, fies de rhetore Consul,
Si volet hæc eadem, fies de Consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quam
200 *Sidus, & occulti miranda potentia fati?*
Seruis regna dabunt, captiuis fata triumphos.
Felix ille tamen, coruo quoque rarior albo.
Pœnituit multos vanæ sterilisque cathedræ,
Sicut Trasymachi probat exitus, atque Secundi
205 *Carinatis, & hunc inopem vidistis Athenæ,*
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.
Dij maiorum vmbris tenuem, & sine pondere terram,
Spirantesque crocos, & in vrna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
210 *Esse loco, metuens virgæ iam grandis Achilles*
Cantabat patrijs in montibus: & cui non tunc
Eliceret risum cytharœdi cauda magistri?
Sed Rufum, atque alios cædit sua quæque iuuentus.
Rufum qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
215 *Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis affert*
Quantum grammaticus meruit labor? & tamen ex hoc,
Quodcunque est (minus est autem quàm rhetoru æra)

Discipuli custos præmordet Acanitus ipse.
Et qui dispensat, frangit sibi. cede Palæmon,
Et patere inde aliquid decrescere: non aliter, quàm 220
Institor hybernæ tegetis, niueique cadurci,
Dummodo non pereat, mediæ quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro:
Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas 225
Quot stabant pueri, cum totus decolor esset
Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione tribuni
Non egeat: sed vos sæuas imponite leges,
Vt præceptori verborum regula constet. 230
Vt legat historias, autores nouerit omnes
Tanquam vngues, digitosque suos, vt forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen, patriamque nouercæ
Archemori: dicat quot Acestes vixerit annos, 235
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.
Exigite, vt mores teneros ceu pollice ducat.
Vt si quis cera vultum facit: exigite, vt sit
Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus, non est leue tot puerorum 240
Obseruare manus, oculosque in fine trementes.
Hæc, inquit, cures, & cum se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

IN SATYRAM VII.

LIBER III.

IN CÆSARE.] Traiano. Imperatores Romani vocabantur Cæsares, vt reges Iudæorum Herodes, & Ægyptiorum Pharaones. Ægyptiorum reges omnes tunc Pharaones dicebantur, non hoc proprium habentes nomen, sed pro dignitate, reges tunc vtebantur hoc nomine, sicut & apud nos Imperatores Augusti appellantur. habebat ergo vnusquisque Pharao proprium nomen. hoc nos ex libris Manethonis sacerdotis Ægyptiorum lectum posuimus. Eusebius in Chronicis, qui quidem auctor antea scatebat erroribus, sed suæ luci restitutus est à doctissimo viro Arnaldo Pontaco.

TRISTES CAMOENAS.] Tristes musas, quia contemnuntur.

BALNEOLVM GABIIS.] Apud Gabios, paruum balneū est balneolum.

FVRNOS.] Ad panem coquendum.

Clio esvriens.] Poëta fame laborans.

Aganippes.] Locus in Bæotia Musis sacer. Claud.

Concinit fœlix Helicon fluxit Aganippe
Largior, & doctis riserunt floribus ames

Callimachus tamen dicit fontem esse Permessi fluminis. Valla, & Calderinus dicunt esse locum musis sacrum, id desertis, & relictis musis.

Migraret in artia clio.] Musa historiarum inuentrix, ostiaria, & custos Attiensis fieret, vel migraret in ædes diuitum.

Mart. *Atria magna colam vix tres, aut quatuor ista*
Res aluit. & alibi.
Atriaque excelsa sunt adeunda domus.

Nam si pieria.] Locus sub radicibus Olympi montis, cui Pierius poëta nomen dedit, qui primus musis sacrificasse dicitur, vnde musæ Pierides dictæ. Vetus Scholiastes: vel à Pieria rupe Macedoniæ. Strabo lib. 9.

Qvadrans.] Denarius, inde quadrantes.

Machæræ.] Velis nominari Machærophorus, i. ensiger: Machæra est gladius longus ab vna parte acutus. Isidorus. & Apuleius lib. 9. de Asino aureo, minabatur se se concisurum eum Machæra frustatim.

Stantibvs oenophorvm.] Popularibus, armatis militibus, Oenophorum vas vinarium. Mart.

Ille fide summa testæ sua vina remensus,
Reddidit Oenophori pondera plena sui

Tripodes.] Mensas, quales erant Delphis, in quibus Apollo respondebat.

Halcyonem.] Tragædiam de Halcyone, Æoli regis ventorum filia, quæ præ dolore quem ex naufragio & morte mariti susceperat, mutata est in auem Halcyonem. Plinius. Seneca in Agamemnone.

Licet Halcyones.
Cerca suum fluctu leniter plangente sonent.

Bacchi.] Illius poëtæ tragici.

Thebas.] Fabulam Thebarum.

Terea.] Fabulam Terei in auem conuersi. Claudianus.

In volucrem Tereus, Cadmus se vertit in anguem.

Fausti.] Illius poëtæ. hi poëtæ viles erant, nam eorum opera, publica auctione vendebantur.

Equites Asiani.] Equites Romani, ex Græcis facti Asiani. Asianorum fidem leuat, Scholiastes.

Faciant.] Falsum testimonium dicant.

Altera gallia.] Galatæ.

Nvdo talo.] Qui nudis pedibus ambulant ob paupertatem, ideo viles sunt.

Nectit qvicvnqve.] Qui carmen vocale efficit per modos, id est poëta pseudoprobus.

Lavrvm.] Honorem Lauri.

Dvcis.] Traiani, qui quasi dux circunspicit. Nerua successit Domi-

tiano, imperauit anno vno, mensibus quatuor. Neruæ successit Traianus, qui multis tristes, quod contemptæ fuissent, imperante Domitiano fouit, vt innuit Tacitus in vita Agricolæ, scilicet illo igne vocem populi Rom. & libertatem Senatus, & conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exilium acta, ne quid vsquam honestum occurreret: nunc demum redit animus, & quanquam primo statim beatissimi sæculi ortu, Nerua Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque cottidie fœlicitatem imperii Nerua Traianus, nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam, ac robur assumpserit: natura tamen infirmitatis humanæ tardiora sunt remedia, quàm mala, & vt corpora lentè augescunt, cito extinguntur; sic ingenia, studiaque oppresseris facilius, quàm reuocaueris. quia dubitatur ab interpretibus, de quo Cæsare, & de quo duce & imperatore hîc loquatur Iuuenalis. hęc attuli, nam ex his apparet poetam intelligere Traianum Imperatorem.

CROCEÆ.] Crocei coloris. cedrinus tabellis coarctatur membrana, id est, subauratis.

DONA VENERIS THELESSINE MARITO.] Incende libros & trade Vulcano marito Veneris. Thelesinus vir sui temporis, ad quem scribit, sine libros tinea perforari & absumi, quàm vt mittas ad aliquem, vnde nulla sit spes lucri.

HEDERIS.] Corona. Horat.

Arctius atque hedera procera adstringitur ilex,
Lentis adhærens brachiis.

IMAGINE MACRA.] Corpore exili, propter vigilias, quia poëtæ sic pinguntur quasi ad summam maciem, nimio labore confecti.

FRANGE MISER CALAMOS.] Mart. lib. 9. in Sutorem,

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum,
Prænestina tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit.
Rumpis, & ardenti madidus chrystalla falerno
Et pruris domini cum Ganymede tui,
At me literulas stulti docuere parentes,
Quid cum Grammaticis Rhetoribusque mihi?
Frange leues calamos & scinde Thalia libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.

VT PVERI IVNONIS AVEM.] Pauonem, quem laudant, & nihil illi dant, imo auferunt pennas. Iunonis dicitur esse, quia Iunoni sacra est. Iuno in eius caudam transtulit oculos Argi.

PELLAGI PATIENS.] Vt mercator esses. Scholiastes.

LIGONIS.] Vt agriculturam exerceres.

TERPSICOREN.] Musam, & musica instrumenta, quorum est inuentrix. Carmina, poëta cum ad senectutem peruenit, omni ætate attrita, in exponendis carminibus seipsum odit, & studia damnat sua.

APOLLINIS ÆDE RELICTA.] Pierio antro relicto. colis diuitem

Macolonus diues commendauit ædes, nihil præterea.

FERRATA DOMVS.] Ferro munita.

IN QVA SOLLICITAS.] Cum fuerint clausæ, propter domini calamitatem. tristes & sollicitas dicit propter incursionem hostium.

REGVM.] Diuitum, quia diuites regnant.

SVBSELLIA.] Loci in quibus altius sedent, vel subsellia in quo Rex sedet propter tutelam corporis sui. Secundum quosdam à soliditate dictum, quasi solidum, secundum alios per antisticon, quasi solidum à sedendo, vnde & sella, quasi seda dicta est, & subsellia, quasi subsedia. Isidorus originum lib. 20. c. 11.

ANABATRA TIGILLO.] Gradus & scalæ. tigillo, paruo tecto, vel trabe, nemo diuitum tibi dabit quantum constat subsellia, quæ conduxisti.

ORCHESTRA.] Orchestra locus in scena, quo antea, qui nunc planipedes appellantur, non admittebantur histriones, nisi tantum interim dum fabulæ explicarentur, quæ sine ipsis explicari non poterant. Sextus Pompeius, Festus. Orchestra sumitur etiam pro sedibus Senatorum.

VERSAMVS LITTVS.] Defatigamur.

CACOETES.] Mali mores, mala consuetudo scribendi, quæ obliuioni tradi non potest. Cacoëtes apud Galenum 4. therap. est vlcus malignũ & contumax, hoc vocabulo mala consuetudo significatur. Politianus lib. 6. Epist. ad Puccium: cacoëtes inquit apud Galeum est lenta febris: Puxius ait esse apud Celsum speciem carcinomatis.

MONETA.] Hinc Petronius Arbiter effugiendum est ab omni verborum, vt ita dicam vilitate, & sumendæ voces à plebe summotæ, vt fiat, odi profanum vulgus, & arceo. metaphora à signantibus monetam. vulgari stylo.

AONIDVM] Musarum. in Aonia Boëtiæ partæ Heliconem montem esse scribit Strabo, in quo loco consecrata erat ædes, fonsque Caballinus.

PIERIO.] Musarum antro, quod natura fertur ad componendum carmina idoneũ.

THYRSVMQVE.] Furorem poëticum, non potest rapi furore, quo rapiebantur Bachantes: thyrsum, hastam Pampinis inuolutam tenentes.

EVHOE.] Quod sacietatis vsque ad fastidium indicium est. Horat. lib. 2 carminum.

Euoe recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum lætatur Euoe
Parce liber, parce graui metuende thyrso.

DOMINIS CYRRHAE, NISAEQVE FERVNTVR.] Apolline & Baccho. Cyrrha sub Cyrrhyn Parnassi rupem vrbs est venusta. in qua Apollo colebatur. Diodorus scribit Dionysium nutritum in Nisa fœlicis Arabiæ vrbe propinqua AEgypto, in qua colebatur. Martialis lib. 4. de Vesuuio monte,

Hæc iuga quam Nisæ colles, plus Bacchus amauit.

Domini ergo harum ciuitatum sunt.

LODICE.] Re domestica. lodix est propriè operimentum lecti. Vetus Interpres.

RVTVLVM Turnum, Regem Rutulorum.

ERINNYS.] Furia bellica Erinnys, Alecto quæ Turnum ad bellum suscipiendum compellit. Æneid. lib. 7.

HYDRI.] Angues, non scriberet Bucolica Virgilius, in quibus agit de hydris serpentibus, noxiis herbis, & animalibus nocentibus frugibus.

BVCCINA.] Tuba buccina est, qua signum datur in hostem, dicta à voce quasi vocina. Isidorus, Propertius,

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,

RVBRENVS LAPPA.] Tragicus Poëta.

ET LANAM PIGNERAT ATREVS.] Poëta Tragicus, qui Atrei tragœdiam scripsit, adeo pauper est, vt penulam qua induitur pignori dare cogatur.

COTHVRNO.] Stylo.

ALVEOLVS.] Est tabula calculatoria, & lusoria, vel per alueolos lances, vel paropsides intelligit. Turneb. lib. 34. cap. 4.

INFOELIX.] Animo non facultatibus. Numitor. Diues nobilis.

QVINTILLÆ.] Meretrici.

CONSTAT LEVIORI.] Ironia est. leo leuius pascitur quàm Poëta.

INTESTINA.] Venter. intestina dicuntur, eo quod corporis interiore parte cohibentur, quæ idcirco longis nexibus in circulorum ordinata sunt modum, vt susceptas escas paulatim digerant, & superadditis cibis non impediantur.

CONTENTVS FAMA.] Ideoque facile otium ad scribendum carmen habuit diues Lucanus.

SARRANO TENVIQVE SALEIO.] Poëtis illis pauperibus, & ita opponuntur Lucano. Salei Poëtæ egregij, sed pauperis, meminit Tacitus.

AMICÆ THEBAIDOS GRATÆ.] Significat Poëma Statij de bello Thebano.

PARIDI NISI VENDAT AGAVEM.] Tragœdiam Paridi histrioni. Suetonius in Nerone, & sunt qui tradant Paridem histrionem occisum ab eo, quasi grauem aduersarium. Martialis lib. 2. Epitaph. Paridis,

Atque omnes Veneres Cupidinesque,
Hoc sunt condita quo Paris sepulchro.

Agauem fabulam vel tragœdiam de Agaue, quæ furore Bacchico rapta filium suum Penthea occidit, non visam nec tractatam ab aliis. Poëtæ vendebant fabulas, quas scribebant, vt victum sibi compararent, vt de Plauto legimus apud Eusebium in Chronicis: Plautus, inquit, ex Vmbris Sarsinas Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias pistori se locauerat, ibi quoties ab opere vacaret, scribere fabulas, & vendere solitus consenuerat, vel nisi vendidisset nouam, & inauditam cantionem, non habebat vnde se sustentaret. Claudianus,

Hi tragicos meminere modos, his fabula Tereus,

His necdum commissa fore cantatur Agaue.

Et Seneca in OEdipo,

Petit ab genitrix adest
Furibunda Agaue tota, quam sequitur manus
Partita regem.

SEMESTRI VATVM DIGITOS CIRCVMLIGAT AVRO.] In modum lunæ plenæ. semestris luna dicitur, cum mensis medium permensa est spatium, id est facit è numero equitum. Verus interpres à Pythæo editus, vel circumligat auro, annulo aureo semestri: nam annuli æstiui, & hyberni semestres sunt. Paris, inquit, histrio, qui multis militiæ honorem largitur, vatibus dat annulos aureos, eosque que locupleat. Turneb. lib. 20. cap. 11. quem lubens Lubinus sequitur.

SEMESTRI AVRO.] Vel per aurum semestre intelligit munus Tribunorum militum. Nam Tribuni militum fungebātur munere sex mensibus, & gestabant annulos aureos, vt ait Appianus Alexandr. lib. de bello Libyco cap. 11. Sensus. Tribunos militum facit. Plinius Nepos in Epistolis pro Caluisio ita rogat, hunc ergo semestri tribunatu splendidiorem, & sibi & auunculo suo facias.

MILITIÆ HONOREM.] Præfecturam, & Tribunatum.

CAMERINOS ET BAREAS.] Proceres nobiles, non gratos principi sequeris, sed falleris, nihil tibi dant.

PRAEFECTOS PELOPEA FACIT.] Tragœdia de Pelopea filia Thyestis, cum qua pater concubuerat, vnde natus est Ægistus. Iuuenalis propter hunc versum missus est in exilium in Pentopolim, quæ est in Libya, à Paride histrione, vt ait Sidonius Apollinaris, si tamen illum intelligit,

Nec qui consimili deinde casu,
Ad vulgi tenuem strepentis auram:
Irati fuit histrionis exul.

PHILOMELA TRIBVNOS.] Tragœdia de Tereo, Progne, & Philomela. ille histrio, qui canebat Philomelam facit Tribunos militum.

PVLPITA.] Recitationes carminum, quæ fiunt ad pulpita.

AVT PROCVLEIVS.] Eques liberalissimus in fratres suos bello ciuili spoliatos. Horat. carminum, lib. 2. Ode 2.

Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni.

DECEMBRI.] Quo mense solet lugubrari, & abstineri à commessationibus, & comporationibus.

RERVM NVMERVS.] Ordo historiæ. ACTA LEGENTI.] Exceptori vel scribæ.

COMITES IN FASCE LIBELLI.] Fascis est congeries rerum colligatarum.

VENIT AD DVBIVM.] Si debitor ceperit esse suspectus, nomen

pro debito sumitur. FOLLES.] Ora causidicorum.

CONSPVITVR SINVS.] In sinu spuunt propter fas[illegible] verborum.

RVSSATI PONE LACERTAE.] Lacerta nomen Aurigae [illegible] cti, qui sub Domitiano fuit, apud Plinium mentio fit Russati aurigae. quod de auriga Russato dictum est, ad aurigam russatae factionis nomine Lacertam refertur, qui locupletior erat ex aurigandi studio quam causidici ex actione causarum, Calder. legit russati pone lacertae, hoc est rus exiguum vt ante.

Vnius sese dominum fecisse lacertae.

CONSEDERE DVCES SVRGIS TV PALLIDVS AIAX.] Ex lib. 13. Metamorpho. Ouid. sumpsit,

Consedere duces, & vulgi stante corona,

Surgit ad hos Clypei dominus septemplicis Aiax.

Is enim cum Vlysse de armis Achillis causam habebat, Aiacem pro aduocato recitaturo posuit. duces, iudices tu causidice, non minus palles in causa aliena, quàm Aiax in sua, aduersus Vlyssem.

BVBVLCO IVDICE.] Coram iudice ignaro, vel coram iudice, qui potius bubulcus quàm iudex esse deberet. INTENSVM IECVR.] inflatum ira.

SCALARVM.] Id est detur victoria de reo damnato ad scalas, ad quas rei vnco trahebantur. Suetonius in Tyberio: nemo punitorum non & in Æmonias abiectus vncoque tractus. Scalas malè vulgo interpretantur scalae, hîc sunt aditus domus, ianua, ita autem vocat ἰσφαλῶς ad indicandam oratorum pauperiem, qui more omnium tenuium, & mendicorum in cœnaculis habitabant, vt aedes suas nisi scalis introire non possent erat autem moris oratorum & causidicorum victoriam partam in foro testari, appensa pro foribus palma. Lucanus in panegyrico ad Pisonem,

— licet exercere togatae

Munera militiae, licet & sine sanguinis haustu

Mitia legitimo sub iudice bella mouere,

Hinc quoque seruati contingit, gloria ciuis

Altaque victrices intexunt limina palmae.

Casaubonus vir magnae eruditionis.

PETASVNCVLVS.] Paruus petaso.

VAS PELAMYDVM.] Genus piscis salsi est Pelamys, dictum quod in luto moretur. P. Festus & Phrinicus.

EPIMENIA.] Sacra mēstrua, Graecè dixit, nam Latinè munera menstrua, & sordida xenia dicuntur, menomenia, quę de mense in mensem parantur. epimenia quae ad mensem vnum. Cassianus lib. 4. Institutionum cap. 22. cuiusmodi nominat veteres bulbos.

BVLBI.] Pisces veteres. Mart. lib. 13.

Cum sit anus coniux, & sint tibi mortua membra,

Nil aliud bulbis quam satur esse potes.

Bulbi excitant Venerem. Nicander, & Athenaeus.

AEMILIO DABITVR.] Patrono diuiti.

BELLATORE.] Equo belligero, id est, minatur mortem iis qui displicent. hinc Martialis in magistrum ludi,

Tam graue percussis incudibus æra resultant,
Causidicum medio, cum faber aptat equo.

Equo medio, equestri statuæ.

STATVA LVSCA.] Ira sedet vt prælia futura videatur meditari. lusca, vetustate, quæ Sertorium referat, aut Hannibalem, qui lusci fuerunt, vel quia vno oculo melius cernitur. prima verior est.

PEDO.] Causidicus diues, conturbat alios causidicos pauperes.

MATHO.] Pauper causidicus succumbit.

TONGILLI.] Aduocati exitus Tongilli causa, quare conducatur Calderinus. vel exitus vt quoque difficiat. Valla.

MAGNO CVM RHINOCEROTE.] Id est magno gutto, quod sicut Rhinoceros sit ingentis nasi, vel vase ex Rhinocerotis cornu, non contentus cornu vulgari.

LVTVLENTA.] Cicero in Salustium, Itaque nihil aliud studet, nisi vt lutulentus sus cum quouis volutari.

ASSERE.] Longo palo & eminenti, quo lectica ferebatur.

MVRRHINA.] Pocula. Martialis,

Si calidum potas ardenti Myrrha falerno
Conuenit & melior fit sapor inde mero.

STLATARIA PVRPVRA.] Illecebrosa, vestis senatoria modo laticlaui facta. stlata genus nauigij est, inquit Festus, latum magis quàm altum. stlatarum, quod mari portatum est, quasi stlata aduectum. Ennius,

Et melior nauis quam quæ stlataria portat.

Et à latitudine sic appellatum, & à consuetudine qua locum, & stitem, pro litem.

AMETHYSTINAE.] Gemmæ. Valla. vestimenta violacea; Amethystus purpureus est permixto violaceo colore, & quasi rosæ nitor, & leniter quasdam flammulas fundens. Isidorus lib. 16. Martialis,

Ebria Sidoniæ cùm sint de sanguine conchæ,
Non video quare sobria lana vocer.

Sensus. Purpurati, aut Amethystini, aut sericati incedunt causidici, vt operas charius vendant.

PAVLVS AGEBAT.] Paulus patronus agebat causas.

CONDVCTA SARDONYCE.] Annulo aureo conducto, in quo erat hæc gemma.

COSSVS BASSILIVS.] Pauperes causidici.

MATREM.] Clientis flentem, vt Iudex lachrymis eius moueatur.

VECTI.] Pro, ô Vectij, Domitius. vel vehentes ferrea pectora. Tu doces, ô Vecti, ferrea pectora.

CLASSIS NVMEROSA.] Schola probat perimendos tyrannos.

CRAMBE REPETITA MAGISTROS.]Crambe brassicæ species est, quæ bis recocta fastidium & nauseam parit, hinc prouerbium, Crambe recocta mors est. tractum à frequenti repetione, vt fastidium repetitæ controuesiæ tentaret, Species brassicæ appellata crambe tenuioribus, vt est apud Plinium foliis, & simplicibus densissimisque amarior, sed efficacissima, ipsius vero Græci prouerbij mentionem Suidas facit, ponique etiam in conuiuiis crabem docet, quòd sit ebrietati contraria, quemadmodum in lib. de re rustica testatur Cato. Vide Polytianum lib.1. Miscellaneorum cap. 33. Domitius ait crambe esse inscriptionem declamationis loco. Nam crambe est,inquit,oppidum in Teutrania.

ARCADICO.] Asino. hebeti,stulto. in Arcadia optimi sunt asini. Strabo.

IN LÆVA PARTE MAMILLÆ.] In præcordiis,Id est,quid magister peccat,si tu ingenium non habes.

DIRVS HANNIBAL.] Declamatio de Hannibale.

AN PETAT VRBEM, AN CANNIS.] id est, oratio in genere deliberatio,quam recitat,à Cannis id est à vico illo Apuliæ, in quo Hannibal exercitum Romanum interemerat. Plutarchus in Hannibale.

IMPLET CAPVT.]Id est aures.

AN POST NYMBOS ET FVLMINA.] Cum tertio ab vrbe lapide positis castris fulmine tertius,eo quod propius accederet. Sidonius Apollinaris,

> *Auito si denique dirum,*
> *Hannibalem iuncto terræ cælique tumultu,*
> *Repulimus cum castra tuis iam proxima muris,*
> *Starent.collina fulmen pro thure cucurrit.*

QVAMTVMVIS STIPVLARE.]Proroga,quamtumuis tibi dent.Stipulatio est iuris vinculum,quo quis astringitur alicuius rei soluendæ causa apud Iustinianum.

RAPTORE RELICTO.]Relicto themate de raptore virginis,& relicto themate, de venenis, quibus vxores maritos enecant.ex his argumentis componunt declamationes scholastici.

MARITVS.] Fabula de Iasone,& Medea.

MORTARIA COECOS.] Declamatio de mortariis,in quibus filius se contriuisse asserit medicamina, quæ sanant oculos patris, qui vetustate amittit visum. nouerca dicit esse venena, non medicamina.

RVDEM.] Dicendi quietem, propriè virga qua accepta vacabant muneribus,imponet sibi finem agendi causas in foro.

SVMMVLA.]Parua summa promissæ pecuniæ.

TESSERA FRVMENTI.] Tesseræ,quibus frumenti mensuræ designabantur quæ dabantur à diuitibus.Paulus Iurisconf.Si tessera frumentaria Titio legata sit. Vide Brissonium in verbo,Tessera.

CHRYSOGONVS.] Cytharœdi nomen. POLLIO.] aliud nomen cytharœdi.

ARTEM SCINDENS THEODORI.] Theodorus Cadareus fuit Rhetoricæ præceptor. Suetonius in Tyberio. ſenſus, irridens Rehtoricam porticus, in qua geſtetur dominus.

NVMIDARVM COLVMNIS.] In Numidia eſt lapis optimus ad columnas faciendas.

ALGENTEM RAPIAT SENATIO SOLEM.] Solatia in ſuperioribus Hyemalia marmoribus & columnis ornata, ſolem algentem, intelligit hybernum.

PVLMENTARIA.] Opſonia dicuntur: à pulte pulmentaria.

SESTERTIA QVINTILIANO.] Summo Rhetori.

EXEMPLA NOVORVM FATORVM.] Quidam Rhetor fato fœlix erit.

APPOSITAM NIGRÆ LVNAM SVBTEXIT ALVTÆ.] Patricius lunula, nam aſſuta calceis discernuntur patricij ab ignobilibus, patricios calceos Romulus reperit quatuor corrigiarum, aſſutaque luna, iis ſoli patricij vtebatur: luna autem in iis non ſyderis formam, ſed notam centenarij numeri ſignificat, quod initio patricij centum Senatores fuerunt. Iſidorus.

SI PERFRIXIT.] Frontem ſcilicet.

SI FORTVNA VOLET.] Multi putant à Iuuenale ſignificari Quintilianum fuiſſe conſulem. Seneca in Agamemnone. Quidquid in altum fortuna leuat, ruitura tulit. Quintilianus conſularia per Clementem ornamenta ſortitus honeſtamenta nominis potius videtur quàm inſignia poteſtatis habuiſſe. Auſo. ad Gratianum.

VENTIDIVS.] Qui captiuus ductus in triumphum, poſtea triumphauit Gellius lib. 15. cap. 4. nihil de quoquam tantæ admirationis fuit, quantæ quæ de Ventidio Baſſo ſcripta ſunt, de quo Plinius lib. 7. cap. 34. Triumphare Publium Ventidium de Parthis voluit quidam ſolum, ſed eundem in triumpho Aſculano Cn. Pompeij. Strabonis duxit puerum: quamquam Maſſurius author eſt, bis in triumpho ductum. Cicero ait mulionem Caſtrenſem ſuffaraneum fuiſſe. plurimi iuuentam inopem in caliga militari toleraſſe dicunt, ex mulotriba conſul factus eſt.

TVLLIVS] Qui humili loco natus conſul fuit. non loquitur de Cicerone, ſed de Tullio ſeruo.

SERVIS] Seruum Tulium captiua Corniculana natum, patre nullo, matre ſerua, ingenio & virtute regnum tenuiſſe ait Liuius Decad. 1. lib. 4.

SICVT THRASIMACHI] Rhethoris, qui apud Athenas ſuſpendio periit, inter ſophiſtas numeratur à Philoſtrato, qui cùm Rhetoricam cepiſſet profiteri, deſtitit ob inopiam.

SECVNDI CARINATIS.] Miſſus eſt in exilium à Caligula, quod orationem in tyrannos dixiſſet. Philoſtratus lib. 1. Et Suidas. hi pauperes Grammatici inopia periere.

NIL PRAETER GELIDAS.] Socrates veneno periit, cùm fugeret paupertatem cicuta, publica pœna Atheniensium, scientia & probitas morum, Cicutis, id est mortem conferunt, nam viri probi inuisi tyrannis occiduntur. gelidas, mortiferas, mors enim frigida est, quia aufert calorem. Athenæus.

DII MAIORVM VMBRIS.] Maiores laudat, qui voluerunt præceptores esse loco parentum: sunt enim parentes non corporum, vt inquit Fabius, sed mentium, præceptoribus non potest dari sufficiens honor, pro institutionis labore, vt ait Aristoteles.

CROCOS.] Flores croci, Athenæ. Cecrope regnante primum oliua in arce orta est, & ex Mineruę nomine quæ Gręce Athena dicitur, Athenę nuncupatæ. Cecropia regio, à Cecrope nuncupata est. Euseb. in Chrō.

CYTAROEDI CAVDA MAGISTRI.] Chironis Centauri qui inferiorem partem vmbilico tenus, equinam habuit. Horatius Epodon,

Nobilis vt grandi Cecinnit centaurus alumno,
Inuicte mortalis dea,
Nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus.

PATRIIS IN MONTIBVS.] Thessaliæ.

RVFFVM.] Is rhetor erat, qui fingebat in declamationibus suis, Ciceronem in sententiam Allobrogum iisse, vel Allobroga, Gallum & barbarum.

ALLOBROGA.] Allobroges Galliæ populi sunt iuxta Rhodanum, quorum Vienna ciuitas metropolis est. Strabo, Horatius,

Nouisque rebus infelix
Allabrox.

ENCELADI.] Enceladus Grammatici est nomen, vt Palæmon Grammaticus, qui tanta fuit superbia, vt diceret literas secum esse natas, & secum morituras. Suetonius.

ACOENITVS.] Præceptor. TEGETIS.] Laudicis, vel ædificij firigidi.

INSTITOR HYBERNAE.] Negotiator, qui pro qualitate temporis mercem suam distrahit. Horatius,

Sed iussa coram non sine conscio,
Surgit marito, seu vocat institor:
Seu nauis Hispanæ magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

NIVEIQVE CADVRCI.] Cadurcum velum lineum, quia linum cadurci candidius est aliis, Niueum album denotat.

QVI DOCET OBLIQVO.] Carminator. carmen instrumentum lanificum.

OLFECISSE LVCERNAS.] Cum quibus nocte veniunt ad Grammaticos vt lectiones excipiant.

TOTVS DECOLOR ESSET FLACCVS.] Codices Horatii & Virgilii, quos legebant. Flaccus erat sine colore. & fuligo, id est, vapor olei, hærebat Maroni.

RATA TAMEN.] Raræ ſine lite magiſtro redduntur mercedes.

AVT THERMAS.] Loca aut aqua, aut igni calentia, lauandi ſudandive vſibus deputata, thermas vocant antiqui. Martialis lib. 5. Epigrm. 82.

Neronianas is refrigerat thermas.

PLEBI BALNEA.] Priuata balnea, quæ Daphnes appellantur.

NVTRICEM ANCHISAE.] Tiſiphone.

ARCHEMORI.] Illius viri, Archemorus fuit filius Lycurgi legiſlatoris, Archemoli legunt alii. Virgilius,

Archemolum thalamos auſum inceſtare nouercæ.

Hæc Pulmanus, qui in Iuuenalem minima maxima cum diligentia adnotauit.

ACESTES.] Rex Sicilienſium, is Æneam hoſpitio ſucepit, hic in Sicilia imperium tenens, Æneæ multos cados vini dono dedit Virgil. Æneid. 1.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes.

NE FACIANT VICIBVS.] Ne ſe corrumpant alternatim.

OBSERVARE MANVS.] Ne præputia ducant.

VICTORI POPVLVS QVOD POSTVLAT AVRVM.] Vt in theatro ſolent petere quinque aureos, nam non licebat amplius dare. Lipſius notauit è Capitolino, quinque aureos ſtatam mercedem fuiſſe ſcenicorum quæ in hunc locum dicunt Curio & Brittannicus, expungenda ſunt, quia nihil faciunt ad mentem Poëtæ.

SATYRA VIII.

Ad Ponticum de vera nobilitate, quæ non maiorum imaginibus cenſenda, ſed ab animi virtutibus.

STemata quid faciunt? quid prodeſt Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Maiorum? & ſtantes in curribus AEmilianos,
Et Curios iam dimidios? naſumque minorem
5 *Coruini, & Galbam auriculis, naſoque carentem?*
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis male viuitur? effigies quo
Tot bellatorum ſi luditur alea pernox
10 *Ante Numantinos? ſi dormire incipis ortu*
Luciferi, quo ſigna duces, & caſtra mouebant?
Cur Allobrogicis, & magna gaudeat ara

Natus

Natus in Herculeo Fabius lare? si cupidus, si
Vanus & Euganea quantumuis mollior agna?
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum 15
Squalenteis traducit auos? emptorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, NOBILITAS sola est, atque vnica virtus,
Paulus vel Cossus, vel Drusus moribus esto: 20
Hos ante effigies maiorum pone tuorum:
Præcedant ipsas illi te Consule virgas.
Prima mihi debes animi bona: sanctus haberi,
Iustitiæque tenax factis, dictísque mereris:
Agnosco procerem: salue Getulice, seu tu 25
Syllanus, quocunque alio de sanguine rarus
Ciuis, & egregius patriæ contingis ouanti.
Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Inuento: quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum 30
Insignis? nanum cuiusdam Atlanta vocamus:
Æthiopem, cignum: paruam, extortamque puellam,
Europen: canibus pigris, scabiéque vetusta
Lenibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est, 35
Quod fremit in terris violentiùs. ergo cauebis,
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.
His ego quem monui, tecum est mihi sermo Rubelli
Plance. tumes alto Drusorum sanguine, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses, 40
Vt te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoso conducta sub aëre texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars vltima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides. viuas, & originis huius 45
Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
Facundum inuenies. solet hic defendere causas
Nobilis indocti. veniet de plebe togata
Qui iuris nodos, & legum ænigmata soluat.
Hic petit Euphraten iuuenis, domitíque Bataui 50
Custodes aquilas, armis industrius: at tu

Nil nisi Cecropides, truncóque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quòd
Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.
55 *Dic mihi Teucrorum proles animalia muta*
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Feruet, & exultat rauco victoria circo.
Nobilis hic, quocunque venit de gramine, cuius
60 *Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis:*
Sed venale pecus Corithæ posteritas &
Hirpini si rara iugo victoria sedit.
Nil ibi maiorum respectus. gratia nulla
Vmbrarum, dominos pretiis mutare iubentur
65 *Exiguis, tritóque trahunt epiredia collo*
Segnipedes: digníque molam versare Nepotis.
Ergo vt miremur te, non tua, primùm aliquid da,
Quod possim titulis incidere præter honores,
Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.
70 *Hæc satis ad iuuenem, quem nobis fama superbum*
Tradit, & inflatum, plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim fermè sensus communis in illa
Fortuna. sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim, sic vt nihil ipse futuræ
75 *Laudis agas.* MISERVM *est aliorum incumbere famæ,*
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis:
Stratus humi palmes viduas desiderat vlmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer. ambiguæ si quando citabere testis,
80 *Incertæque rei, Phalaris licet imperet, vt sis*
Falsus, & admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causas.
Dignus morte perit, cenet licet ostrea centum
Gaurana, & Cosmi toto mergatur aëno.
85 *Expectata diu tandem prouincia, cùm te*
Rectorem accipiet, pone iræ frena, modúmque,
Pone & auaritiæ: miserere inopum sociorum.
Ossa vides Regum vacuis exhausta medullis.
90 *Respice quid moneant leges, quid Curia mandet,*

Præmia quanta bonos maneant, quàm fulmine iusto
Et Capito, & Tutor ruerint damnante Senatu,
Peiratæ Cilicum. sed quid damnatio confert,
Cùm Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit:
Præconem Chærippe tuis circumspice pannis, 95
Iamque tace. FVROR *est post omnia perdere naulum.*
Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum, sociis florentibus, & modo victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens stabat aceruus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa, 100
Et cum Parrhasij tabulis, signisque Myronis
Pheidiacum viuebat ebur, nec non Polycleti
Multus vbique labor: raræ sine Mentore mensæ.
Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres. referebant nauibus altis 105
Occulta & spolia, & plureis de pace triumphos.
Nunc sociis iuga pauca boum, grex paruus equarum,
Et pater armenti capto eripietur agello:
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in ædicula Deus vnicus: hæc etenim sunt 110
Pro summis: nam sunt hæc maxima, despicias tu
Forsitan imbelleis Rhodios, vnctámque Corinthum:
Despicias merito quid resinata iuuentus,
Cruráque totius facient tibi læuia gentis?
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis, 115
Illyricúmque latus. parce & messoribus illis,
Qui saturant vrbem, Circo scenæque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cùm tenueis nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna iniuria fiat 120
Fortibus, & miseris, tollas licet omne quod vsquam est
Auri, atque argenti: scutum, gladiúmque relinques,
Et iacula, & galeam. SPOLIATIS *arma super sunt.*
Quod modo proposui: non est sententia: verùm
CREDITE *me vobis folium recitare Sibyllæ.* 125
Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit acersecomes, si nullum in coniuge crimen,
Nec per conuentus, nec cuncta per oppida curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno:

130 *Tunc licet à Pico numeres genus, altáque si te*
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter maiores ipsumque Promethea ponas.
De quocunque voles proauum tibi sumito libro.
Quòd si præcipitem rapit ambitus, atque libido,
135 *Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te*
Delectant hebetes lasso lictore secures:
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
OMNE animi vitium tantò conspectius in se
140 *Crimen habet, quantò maior, qui peccat, habetur.*
Quò mihi te solitum falsas signare tabellas
In templis, quæ fecit auus, statuámque parentis
Ante triumphalem? quò? si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
145 *Præter maiorum cineres, atque ossa volucri*
Carpento rapitur pinguis Damasippus, & ipse,
Ipse rotam stringit multo sufflamine Consul,
Nocte quidem, sed Luna videt, sed sidera testeis
Intendunt oculos finitum tempus honoris
150 *Cùm fuerit, clara Damasippus luce flagellum*
Sumet, & occursum nusquam trepidabit amici
Iam senis, ac virga prior innuet, atque maniplos
Soluet, & infundet iumentis hordea lassis.
Intereà, dum lanatas, toruumque iuuencum
155 *More Numæ cædit Iouis ante altaria, iurat*
Solam Hippo, & facies olida ad præsepia pictas.
Sed cùm peruigiles placet instaurare popinas,
Obuius assiduo Syrophœnix vdus amomo
Currit Idumææ Syrophœnix incola portæ,
160 *Hospitis affectu dominum, Regemque salutat,*
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpæ dicet mihi, fecimus & nos
Hæc iuuenes. esto: desisti nempe, nec vltrà
Fouisti errorem. BREVE sit, quod turpiter audes.
165 *Quædam cùm prima resecentur crimina barba,*
Indulge veniam pueris. Damasippus ad illos
Thermarum calices, inscriptáque lintea vadit
Maturus bello Armeniæ, Syriæque tuendis

Amnibus, & Rheno, atque Istro Præstare Neronem
Securum valet hæc ætas. mitte ostia Cesar, 170
Mitte: sed in magna legatum quære popina.
Inuenies aliquo cum percussore iacentem,
Permistum nautis, aut furibus, aut fugitiuis,
Inter carnifices, & fabros sandapilarum,
Et resupinati cessantia tympana Galli: 175
Æqua vbi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior vlli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, seruum?
Nempe in Lucanos, aut Tusca ergastula mittas.
At vos Troiugenæ vobis ignoscitis, & quæ 180
Turpia cerdoni, Volesos, Brutosque decebunt.
Quid, si nunquam adeò fœdis, adeoque pudendis
Vtimur exemplis, vt non peiora supersint?
Consumptis opibus vocem Damasippe locasti
Sippario, clamosum ageres vt phasma Catulli. 185
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Iudice me, dignus vera cruce. nec tamen ipsi
Ignoscas populo: populi frons durior huius,
Qui sedet, & spectat triscurria patriciorum:
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui 190
Mamercorum alapas. quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant celsi Prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone,
Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, vt sit 195
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharœdo Principe natus
Nobilis. hæc vltra, quid erit nisi ludus? & illud
Dedecus vrbis habes, nec mirmillonis in armis,
Nec Clypeo Graccum pugnantem, aut falce supina. 200
Damnat enim tales habitus, & damnat, & odit,
Nec galea frontem abscondit. mouet ecce tridentem,
Postquàm vibrata pendentia retia dextra
Nequidquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, & tota fugit adgnoscendus arena. 205
Credamus tunicæ, de faucibus aurea cùm se
Porrigat, & longo iactetur spira galero.

Ergo ignominiam grauiorem pertulit omni
Vulnere, cum Gracco iussus pugnare secutor.
210 *Libera si dentur populo suffragia, quis tam*
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni,
Cuius suplicio non debuit vna parari
Simia, nec serpens vnus, nec culeus vnus?
Par Agamemnonidæ crimen: sed causa facit rem
215 *Dißimilem. quippe ille Deis auctoribus vltor*
Patris erat cæsi media inter pocula: sed nec
Electræ iugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine coniugij, nullis aconita propinquis
Miscuit, in scena nunquam cantauit Orestes,
220 *Troica non scripsit. quid enim Virginius armis*
Debuit vlcisci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam sæua, crudáque tyrannide fecit?
Hæc opera atque hæ sunt generosi Principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpitia saltu
225 *Prostitui, Graiæque apium meruisse coronæ.*
Maiorum effigies habeant insignia vocis,
Ante pedes Domiti longum tu pone Thyestæ
Syrma vel Antigones, seu personam Menalippes,
Et de marmoreo citharam suspende Colosso.
230 *Quis Catilina tuis natalibus, atque Cethegi*
Inueniet quidquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus, templísque parastis,
Vt Braccatorum pueri, Senonúmque minores,
Ausi quod liceat tunica punire molesta.
235 *Sed vigilat Consul, vexilláque vestra coërcet.*
Hic nouus Arpinas ignobilis, & modo Romæ
Municipalis Eques galeatum ponit vbíque
Præsidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
240 *Nominis, & tituli, quantum non Leucade, quantum*
Thessaliæ campis Octauius abstulit vdo
Cædibus aßiduis gladio. sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
250 *Poscere mercedes alieno lassus aratro.*
Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,

Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ:
Hic tamen & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit vrbem.
Atque ideo, postquam ad Cimbros, stragemque volabant, 255
Qui nunquam attigerant maiora cadauera, corui,
Nobilis ornatur lauro collega secundâ.
Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina: pro totis legionibus, hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latinâ 260
Sufficiunt Diis Infernis, Terræque parenti.
Pluris enim Decij, quàm qui seruantur ab illis.
Ancillâ natus trabeam, & diadema Quirini,
Et fasceis meruit, Regum vltimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis 265
Exsulibus iuuenes ipsius Consulis, & quos
Magnum aliquid dubiâ pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mucius, & quæ
Imperij fineis Tyberinum virgo natauit.
Occulta ad patres produxit crimina seruus 270
Matronis lugendus: at illos verbera iustis
Afficiunt pœnis, & legum prima securis.
MALO pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacide similis, Volcanique arma capessas,
Quàm te Thersite similem producat Achilles. 275
Et tamen vt longè repetas, longéque reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

IN SATYRAM VIII.

STEMMATA.] Stemmata generis ordo, vt gradus, Stemmata Græce, Latinæ coronæ, & serta ex floribus composita. Stemmata vbi illustrem significant familiam dicunt, in qua insignes viri, vt in sertis flores elucescant. Persius.

Stemmate quod Thusco ramum millesime ducis.

PONTICE.] O Pontice, ad hunc enim scribit hanc Saty.

ÆMILIANOS.] Statuas triumphales Æmilianorum, Æmilia familia illustris fuit. Liuius. Nam Paulus Æmilius filius eius, qui apud Can-

nas trucidatus est, de Liguribus & Persa rege Macedonum triumphauit.

CORVINI.] Messalæ, qui Messalam in Sicilia expugnauit.

NASVMQVE MINOREM.] Vetustate picturæ ita effectum.

DIMIDIOS.] Media ex parte exesos. Martialis lib. 10. ad Lectorem.

Marmora Messalæ findit caprificus & audax,
Dimidios Crispi mulio ridet Equos.

FVMOSOS EQVITVM.] .i. Fumo obsitos, cuiusmodi esse solent veteres imagines, Cicero in Pisonem, Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum, alij legunt famosos, vt N. P. M. I. manuscripti libri. Horatius lib. 3. Ode 6.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labentes deorum, &
Fœda nigro simulachra fumo.

GALBAM.] Suetonius in Sergio Galba, familiam illustrauit Sergius Galba Consularis, temporum suorum eloquentissimus quem tradunt Hispaniam ex prætura obtinentem, XXX. Lusitanorum millibus trucidatis, Viriatini belli causam extitisse.

TABVLA CAPACI.] Imagine perpetua.

SI CORAM LEPIDIS.] Ante imagines Lepidorum clarorum virorum. Lepidus tantæ indolis fuit, vt ei ex senatusconsulto posita sit statua bullata cum prætexta, quoniam puer progressus in aciem, hostem interemisset. Liuius.

ALEA PERNOX.] Per totam noctem luditur. Horatius.

Nescit equo rudis,
Hærere ingenuus puer.
Venarique timet, ludere doctior
Seu Græco iubeas troco,
Seu malis vetita legibus alea.

ANTE NVMANTINOS.] Scipiones, qui victores Numantiæ ciuitatis Hispaniæ fuerunt. Propertius.

Ante Numantinos regna loquuntur auos.

Ante Numantinos, ante statuas Numantinorum.

ORTV LVCIFERI.] Oriente Lucifero, stella est quæ oritur ante Solem.

ALLOBROGICIS.] Cur vendicet sibi titulos maiorum, Nam Fabius, vt scribit Valerius, victoria Gallica cognomen Allobrogis, & sibi & posteris peperit. Filius tantum à Patris Fabij Maximi moribus degenerauit, vt ei à Prætore paternis bonis interdictum sit. Valerius lib. 3. cap. 5. Allobroges populi sunt Galliæ Narbonensis.

NATVS IN HERCVLEO FABIVS LARE.] Fabia gens habebat sacra Herculis hæreditaria, quæ ipsa colebat, vt scribit Liuius, Cur inquit, Fabius maiorum gloria efferatur, eorumque titulos sibi asciscat, si auaritia & libidine flagrat.

ET EVGANEA.] Tarentina, alij Patauina, vt Valla & Brittannicus. Sidonius Apollinaris.

—Vel quidquid in auum.

Mittunt Euganeis Patauina volumina chartis.

Euganei Venetiæ populi. Liuius ait Euganeos esse inter Alpes, & mare.

CATINENSI PVMICE.] Catina oppidum Siciliæ vsque ad probra dissolutum notatur. Catinenses à Catina vrbe Siciliæ appellantur, homines molles quod se pumice læues & glabros redderent. Turnebus lib. 7. cap. 20.

TRADVCIT AVOS.] Dedecorat parentes suos.

FRANGENDA MISERAM FVNESTAT IMAGINE GENTEM.] Olim damnati grauioris criminis non solum ipsi afflicti, & perditi sed nomen & statuæ. D. Ambrosius. Vide, Quemadmodum in ciuitatibus bonorum Principum imagines perseuerent. deleantur Tyrannorum. & Capitolinus in Gordianis, Statuas Maximini deiecerunt, imagines perfregerũt, nomen publicitus eraserunt. Ceræ, imagines ex cera, imagines cereas Poëtæ appellant. Plinius lib. 35. expressi cera vultus singulis disponebantur armariis. Mart.

Atriaque immodicis artat imaginibus.

PAVLVS MORIBVS ESTO.] Facito, sis similis moribus Paulo & Cosso, & Druso, qui multis officiis de Rep. benè meriti sunt. Paulum Æmilium intelligit, qui Persen Macedoniæ Regem vicit. Cossus vt scribit Florus Musulanos, & Getulos iubente Augusto Cæsare domuit. vnde ait salue Getulice. de Claudio Druso potest intelligi, qui authore Tranquillo in Tyberio, hostium duce trucidato, sibi, & posteris cognomen peperit.

ANTE EFFIGIES.] Pone ante imagines eorum mores, & præcedant fasces, boni mores.

PRIMA MIHI DEBES ANIMI BONA.] Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, & Temperantiam.

GETVLICE.] Getulorum victor, Ironicos.

SYLLANVS.] Is nobilis fuit. Suetonius in Claudio, Triumphalia ornamenta Syllano filiæ suæ sponso nondum puberi dedit, Scipionis legatus Magonem ducem Carthaginensium in Hispania superauit.

OVANTI.] Exultanti. Ouatio minor triumphus est proprie.

POPVLVS QVOD CLAMAT OSIRI INVENTO.] Api boue, quæ in Ægypto numinis vice colebatur tanquam Osiris: sic enim iusserat Isis, Osiridis vxor agendum: quærebatur autem ab iis anno quocumque cum luctu: Inuentum verò populus mira applaudens lætitia, magna cum voce salutabat, eundemque per vrbem incedentem grex puerorum comitabatur, carmen honori eius canentium. Tibullus.

Te canit atque suum pubes miratur Osirim,

Barbara Memphitem plangere docta bouem.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,

Et teneram ferro sollicitauit humum.

Et Ouidius Amor.lib.2.

Et comes in pompa Corniger apis erat.

NANVM CVIVSDAM ATLANTA.] Vt si nanum, gigantem vocemus.

ÆTHIOPEM CYGNVM.] Id est nigrum hominem vocemus candidum.

EVROPEM] Formosam. Europa nymphæ nomen, Oceani & Tethios filia, cuius meminit Hesiodus in Theogonia. Fronto Duceus, vir miræ eruditionis mauult intelligi Agenoris filiam, Pythagoras ex ære Tarenti fecit egregiam Europę filiæ Agenoris Phœniciæ Regis imaginem tauro insidentis.

NE TV SIS CRETICVS, AVT CAMERINVS.] Hoc est, ne sis tantum nominibus nobilis, & viuas turpiter, ne reprehendas in aliis, id quod committis; si te Creticum, aut Camerinum aliquis appellat, non propterea superbire debes.

RVBELLI PLANCE, VEL PLAVTE.] Tacitus lib.3. Rubellium Plautum per maternam originem pari ac Nero gradu, à D. Augusto, & lib. 14.& omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia, Rubellius Blandus maritus Iuliæ Drusi filiæ ex iis genitus. hic Rubellius Plautus, de quo Poëta loquitur. Plancus, vel Planca, alius à Plauto.

QVÆ SANGVINE FVLGET IVLI.] Nobilis de genere Troiano, te conciperet mater ex familia Iulia, plebeia mulier: Ascanius Iulium procreauit, à quo familia Iuliorum orta.

SVB AERE.] Pauper in castris natus, sub dio.

CECROPIDES.] Nobilis. Cecrops Rex fuit Atheniensium.

DE PLEBE TOGATA.] Ex plebe vilissima, togata, quia toga viliorum erat vestis.

LEGVM ENIGMATA.] Quæstiones obscuras, qui responsis prudentum, & quæstionibus operam dabant, prope expressisse videtur Iuuenalis.

EVPHRATEN.] Euphrates fluuius est in Oriente, id est nomen militiæ dat, & curam cohortis sumit, vel Armenios petit, hos Domitianus iuuenis superauit.

AQVILAS CVSTODES DOMITI BATAVI.] Præsidia posita ad tenendos Batauos nuper domitos à Domitiano.

BATAVI.] Gens Gallorum, hos etiam vicit Domitianus.

TRVNCOQVE SIMILLIMVS HERMÆ.] Hermæ effigies sine manibus, quales videmus in Circo, Hermas, Athenienses ante ianuas pro religione habuere. sensus. in hoc igitur tantum distas ab Hermulis, Herma à Græcis ponitur pro firmamento, vnde etiam Mercurij nomen inuentoris, vt putabant firmæ orationis dictum. Festus Pompeius. Herma statua Mercurij erat. Athenæus lib. 4. Hermes Mercurius di-

ctus est, id est interpres. Isidorus. Virg. 4. Æneidos loquens de Mercurio.

Nunc etiam interpres Diuum Ioue missus ab alto.

Caput in statuis ex alia materia.

CIRCO.] Conuentu hominum.

SONORO GRAMINE.] Campo.

IN ÆQVORE PVLVIS.] In solo. Virg.

Ac prius ignotum ferro quis scindimus aequor.

PECVS CORITHAE.] Optimam equam significat. Corythus est oppidum Tusciæ.

HIRPINI.] Initio Sabinis, Hirpinus mons est, vbi optimi equi nascuntur: alij intelligunt Hirpinum equum, qui nobilissimus fuit victoriis, & maiorum gloria, quod innuit Iuuenalis, sed venale pecus Corithæ posteritas, & Hirpini. hinc Mart. in Cotilum.

Hirpini veteres qui bene nouit auos.

GRATIA NVLLA VMBRARVM.] Non attendit de quo armento veniat, nulla habetur gratia vmbrarum, id est, parentum mortuorum.

EPIREDIA.] Plaustra, vehicula. Epiredium vehiculi genus est, vt inquit Quintilianus.

MOLAM VERSARE.] Molere in pistrino.

NEPOTIS.] Nomen viri, cuius erat pistrinum. Horatius,

— haud parauero

Quod aut auarus, vt Chremes terra premam,

Discinctus aut perdam vt Nepos.

NERONE PROPINQVO.] De quo debuit magis erubescere.

PALMES.] Palmes, vnde erumpit vua. Seruius.

VLMVS.] Arbor vineis amica, humidis locis melius proficit: in montanis minus læta est. Isidorus.

PHALARIS.] Tyrannus vt Phalaris. hinc Horatius,

Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium.
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solida.

TAVRO.] Taurum æneum, quem Perillus inuenit, & primus ardentem ingressus est, intelligit. Plinius lib. 34. cap. 8. Perillum nemo laudat sæuiorem Phalaride tyranno. cui taurum fecit mugitus hominis pollicitus, igne subdito, & primus eum expertus est cruciatum iustiore sæuitia. Ouid. lib. de arte amandi,

Et phalaris tauro violentus membra Perilli
Torruit. infælix imbuit author opus.

CENET LICET OSTREA CENTVM.] Habeat licet tripodas æneos, vbi heroës lauabantur, & ostrea è lacu Lucrino, vel Baiano. Mart. lib. 13.

Ebria Baiano, veni modo concha Lucrino,
Nobile nunc sitio luxuriosa Garum.

Gaurus mons est in Campania non longè à Baiis, proximus Lucrino lacui.

AHENO COSMI.]Cosmus luxuriosus fuit, qui solium in quod descendebat multis, diuersorum que vnguentorum odoribus miscebat, aheno. vase ex ære. Mart.

Quod quacumque venis Cosmum migrare putamus,
Et fluere excusso cinnama fusa vitro.

& alibi,

Ne grauis hesterno fragres Setcenia vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.

MISERERE INOPVM.] Prouincialium.

EXHAVSTA MEDVLLIS.] Exsiccata, & vacua medullis, id est, Reges spoliati & fortunis exuti.

CAPITO, ET TVTOR.] Tacitus lib. 13. Annalium, Cossutianum Capitonem. Cilices detulerunt maculosum fœdumque, & idem ius audaciæ in prouincia ratum, quod in vrbe exercuerat, sed peruicaci accusatione conflictatus, postremo defensionem omisit, ac lege repetundarum damnatu est. Tutor quoque damnatus est cum Capitone, nam spoliatores Cilicum fuerunt. Brittannicus legit Numitor, quia supra, Iuuenalis Numitorem posuit pro nobili, & diuite. in emendatioribus codicibus legitur Tutor. temporibus Vitellij, Iulius Tutor fuit, quem ripæ Rheni præfecit Vitellius. lege Tacitum.

PANSA.] Posterior gubernator. de Pansa. Suet. in Iul.

NATTA.] Prior prouinciæ præfectus prætorio.

PRAECONEM CHERIPE.] Pro quocumque prouinciali posuit, ô Cilix, circumspice præconem vendentem pannos tuos.

NAVLVM.] Pretium vecturæ, hoc est vitam, & quod superest.

ACERVVS.] Cumulus nummorum.

SPARTANA CHLAMYS.] Vestis Laconica chlamys est, quæ ex vna parte induitur, neque consuitur, sed fibula infrænatur, hinc Græcè nomen accepit.

CONCHYLIA COA.] Metaphora, purpura Græcè conchylium dictum, eo quod ex conchylis marinis color eius colligitur: idem & ostrum vocatur, & infra ait. Conchylia autem sunt maris, quæ circuncisa ferro lachrymas purpurei immittunt coloris, his collectis color purpureus temperatur. Isidor. lib. 19. Origin. cap. 28. de coloribus vestium, hæ vestes fiebant in insula Co.

PARRHASII TABVLLIS.] Pictorum, & sculptorum sunt nomina, qui olim magni artifices fuerunt. Mart

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces adspicis, adde aquam, natabunt.

PHIDIACVM EBVR.] Statuæ eburneæ sculptæ à Phidia.

POLYCLETI.] Statuarij. Plinius lib.33.

MENTORE.]Sine poculis,aut vasculis à Mentore factis.Mart.

Inserta phiala Mentoris manu ducta,
Lacerta viuit,& timetur argentum.

INDE DOLABELLA.]Hi omnes socios,& maxime Græcos Asiaticos, & Siculos fortunis omnibus spoliauerunt. Tacit.

PATER ARMENTI.]Taurus.

LARES.]Dij domestici, & familiares.

IMBELLES RHODIOS.]Molliter viuentes,& luxuriæ deditos.Rhodos insula in Lycia , multo tempore mari dominata est, piratas sustulit,& Romanis amica fuit.

VNCTAMQVE CORINTHVM.] Propter luxum contemnas.

RESINATA IVVENTVS.] Resina leùigata.nam resina sibi pilos tollunt. Mart.

Nec plena turpi matris olla resina,
Summentau qua pilantur vxores.

Pilantur resina,hoc est depilantur.

HORRIDA HISPANIA.] Inculta,his parce gentibus,ne pro iniuria rebellent,aut accusent repetundarum,

GALLICVS AXIS.]Gallica regio.

AXIS.]Quia ipsius Galliæ præsertim Lugdunensis latus, Septentrionem aspicit.

ILLYRICVM LATVS.] Hadriatici latus Illyrici occupant , inquit Mela.

MESSORIBVS ILLIS.] Afris, Africa Regio eximiæ fertilitatis est.

CIRCO.Ludis Circensibus.

DISCINXERIT.]Marius Priscus spoliauerit Afros,nam ita Africam exhausit,vt non sit quod tollatur amplius.

NON EST SENTENTIA.] Non sunt nuda verba in sententia, nam solet interdum aliquid esse falsi, sed est oraculum:vel non est sententia mea.

FOLIVM RECITARE SIBYLLÆ.]Oraculum Sibyllæ.Sibylla scribebat oracula in foliis. Virg.

— foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

SANCTA COHORS.]Si comites sancti sunt.

ACERSECOMES.] Intonsus puer.hos pueros in delitiis habebant præfecti prouinciarum.

CELÆNO.]Auaritia,tanquam Celæno,quæ est vna harpiarum.

A PICO.] Qui Fauno pater fuit,author generis Latini. Virg.Æneid. lib.7.Fauno Picus pater.

IPSVMQVE PROMETHEA.] Id est maiores tuos fuisse gigantes,aut Prometheum.

TITANIDA.]Titanas.

SECVRES.] Retusæ, feriendo capita damnatorum, id est, si crudelis nimium sis.

NOBILITAS CLARAMQVE FACEM.] Quod & Salustius dixit, maiorum gloria posteris lumen est.

OMNE ANIMI VITIVM.] Pro persona crimen admissum culpatur.

SANTONICO CVCVLLO.] Cucullo quo Santones vtuntur, populi in Gallia transalpina, sensus, galero fusco.

DAMASIPPVS.] Domitor equorum vir nobilis.

CARPENTO.] Vehiculo. Isidorus Neronem notat nomine Damasippi.

SVFFLAMINE.] Sufflamen vinculum ferreum, quod inter radios mittitur, dum cliuum descendere cœperit rheda, ne celeres rotæ sequantur, & animalia vexent.

ET OCCVRSVM.] Non grauioris amici occursum timebit.

ATQVE MANIPVLOS SOLVET.] Syncope, manipulos, fasciculos fœni.

LANATAS.] Oues, dum sacrificia peraguntur.

MORE NVMÆ.] Hoc ait, quoniam teste Liuio, Numa Pompilius plurima sacra obibat, ea maxime, quæ tunc temporis ad Dialem Flaminem pertinebant.

HIPPO, VEL HIPPONAM.] Iurans in testimonium Hipponæ, Deæ equorum, & stabulorum. Apuleius lib. 3. Metamorph. respicio pilæ medio, quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso vero meditullio Hipponæ Deę simulachrum residens ædiculæ, quod accuratè Corollis roseis quidem recentibus fuerat ornatum. Turnebus lib. 24. cap. 4. Solam Eponam scribi oportere probat ex Plutarcho in Parallelis. Prudētius in Apoteosi, Nenio Cloacinæ, aut Eponæ super astra deabus. Interpretes sæpenumero discrepant, vt conuiuæ, iuxta illud Horatij,

Tres mihi conuiuæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diuersa palato.

Sensus, tanto tenetur aurigandi studio, & agendi, iuramenta vt iuret per Hipponam Deam stabuli, quæ equis præest.

OLIDA AD PRÆSEPIA.] Ad fœtida præsepia.

SYROPHÆNIX.] Vnguentarij nomen, quasi ex Syria & Phœnica oriundus.

IDVMEÆ.] Sic dictę Romæ, quia per eam ex Idumea ingressi sunt Vespasianus, & Titus De Iudæis, & vicinis Idumeis triumphantes. Idumea pars est Syriæ iuxta Iudæam teste Plinio.

ET CVM VENALI CYANE.] Nomen tabernariæ pro qualibet, scortum erat.

SVCCINTA.] Suffulta, vt sit expeditior ad ministrandum & vendendum vinum.

THERMARVM.] Calidorum locorum. thermæ appellatæ, quod caleant. Isidorus.

ARMENIBVS, ET RHENO.] Armeniam Tigris proluit, Euphrates Parthos, Ister Sarmatas, & Ponto influit. Rhenus inter Allamaniam, & Gallos est. Oceano influit. Ister Danubius dicitur. missus Corbulo ad populos, qui erant prope hos fluuios qui defecerant.

MITTE OSTIA.] Linque ostia, quia in popinis est.

FABROS SANDAPILARVM.] Sandapila pheretrum vilium personarum, sandapila plebeiorum, & damnatorum cadauera efferebantur, vt ait Suet. in Domitiano. Mart.

Hos comes inualidus submissa voce precatur,
Vt quocumque velint corpus inane ferant.
Permutatur onus, stipataque tollitur alte,
Grandis in angusta sarcina sandapila.

Stesimbrotus de Polycrate, postquam de cruce depositus, sandapila etiam deportatus est.

GALLI.] Sacerdotes Cybeles, à Gallo flumiue Phrygiæ, cuius aqua pota homines furere cogit, vt ait Apuleius in Asino aureo.

LVCANOS.] Lucania inter Tyrrhenum, Siculumque latus iacet: Lucanis Samnites propinqui sunt, frequentia erant ergastula in Lucania.

TVSCA ERGASTVLA.] Mart. lib. 9. ad Pastorem, *Et sonet innumera compede Tuscus ager.* Id est multis ergastulis. nam serui in egrgastulis fodiebant agros, præsertim in Hetruria. hinc Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem, in ergastulum terræ laborandæ relegata anima.

TVRPIA CERDONI.] Græcè dixit turpem vulgarem, lucri cupidum intelligit, si popularis, & pauper adulterium committat crimen admisisse dicitur, si diues vrbanus appellatur. hinc. Saty. 4.

Nam quod turpe bonis Titio, Seioque, decebat
Crispinum.

Et Saty. xi.

—ille fruatur,
Vocibus obscœnis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.
Namque ibi fortunæ veniam damus.

VOLESOS, BRVTOSQVE DECEBANT.] Volesi, & Bruti authore Dionysio, Sabinorum nobilissimi fuerunt, qui cum Tatio in vrbe manserunt.

VOCEM DAMASIPPE LOCASTI.] Præco fuisti in mimo.

SVPPARIO VEL SIPARIO.] Arti scenicæ. siparium velū est scenicum, sub quo latent paradoxi, cum in scenam prodeunt. vetus scholiastes. Cicero de prouinciis consula, Itaque ille alter vt ipse est homo doctus, & à suis Græcis subtilius eruditus, quibuscum iam in orchestra helluatur, antea post Siparium solebat. Siparium quo in scenis mimi vtuntur dictum, ait Verrius à velamento, quod vocatur alias aulæum. Pompeius Festus. Hinc Seneca in Hercule Oetæo.

Transit [illegible] fortuna sinus,
Medioque rates quærit in alto,
Quarum feriunt suppara nubes.

AGERES VT PHASMA CATVLLI.] Nomen est mimographi,& Phasma nomen fabulæ, Quintum Catullum Luctatium intelligi. Phasma Græce, Latinè visio,nomen fuit fabulæ. Hinc Terentius, Idem Menādri phasma nunc nuper dedit illic, namque adolescens est introductus, qui aspectu pulchræ virginis veluti numinis exhorruit, fabula nomen sortita est ab euentu rei.

LENTVLVS.] Hic Lentulus nobilis fuit, & suscepit serui personam, & non pependit re vera in cruce, vt debuerat, sicut Laureolus agens mimum.

LAVREOLVM.] Suetonius in Caligula, Cum in Laureolo mimo. In quo actor proripiens se ruina, sāguinem vomuit,vt plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scæna abundauit. in fabula Iudex deprehensus crucifigebatur, ipse mimus & filia occisi sunt. Mart.

Non falsa pendens in cruce Laureolus.

& infra,

Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
In quo quæ fuerat fabula, pœna fuit.

Hic itaque mimus in amphiteatro Domitiani actus fuit, non simulatè vt adsolet, sed verè acto in crucem latrone, qui personam sustinebat Laureoli.

IGNOSCAS POPVLO.] Qui patitur agentes mimos spectare.

TRISCVRRIA PATRICIORVM.] Patriciorum scurrilitatem significat. Iosephus Scaliger vir magnæ eruditionis legit transcurria patriciorum. Palam est inquit eum intelligere ad orchestram Patritios transisse.

PLANIPEDES AVDIT FABIOS.] Nobiles Fabios agentes mimos, qui planis, id est, nudis pedibus ambulabant.

MAMERCORVM ALAPAS.] Turpitudinis crimina. vel Mamercorum. Id est nobilium, qui quidem mimi alapas patiebantur.

NVLLO COGENTE NERONE.] Nullo Imperatore crudeli cogente, vel nullo tyranno.

QVANTI SVA FVNERA.] Non solùm scenicis dant operam, verumetiam in gladiatoriam descendunt nobiles.

CELSI PRÆTORIS VENDERE LVDIS.] Celsi ignobilioris. Plutarchus in Bruto, ab aliis quidem Prætoribus munera, & spectacula, & gladiatores, à te depulsionem tyrannidis populus spectat.

PVLPITA.] Loci spectaculorum.

ZELOTYPVS THYMELES STVPIDI COLLEGA CORINTHI.] Id est socius Corinthij mimi qui ab eo alapis cæsus, ob zelotypiam supplebat, Latinus fingens se Zelotypum vxoris Thymeles, alterum mimum alapis lædebat.

CITHAROEDO PRINCIPE.] Nero adeo Musica delectabatur, vt nomen inter citharœdos iusserit scribi. Tacitus Ann. lib. 14. Vetus illi copia erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus fœdum studium cithara ludicrum in modum canere cum cenaret. Enimuero cantus Apollini sacros,

cros,talique ornatu, astare non modò Græcis in vrbibus,sed Romana apud templa numen præcipuum & præscium.

RES HAVD MIRA.] Non est turpe nobilem mimum agere, cum ipse Imperator citharœdus sit, & in scęna cantauerit.

NEC MIRMILLONIS IN ARMIS.] Festus, retiario pugnanti aduersus Mirmillonem cantatur non te peto, piscem peto;quid me fugis Galle? quia armis Gallicis vtebatur Mirmillo. In galea piscis effigiem habebat.

GRACCHVM.] Nobilem quemque intelligit.

AVT FALCE SVPINA.] Thracum armatura intelligenda est,quibus proprium telum fica est. Suetonius in Caio. Mirmillonem ferrea fica confodit, quæ ficca threx vocatur etiam. Ausonius,

Qua Mirmilloni componitur æquimanus threx.

MOVET ECCE TRIDENTEM.] Infamis est sicut gladiator,aut verba sunt Gracchi spernentis armaturam secutoris.vetus Scholiastes.

CREDAMVS TVNICAE.] Credamus verum esse quod tunica indicat Gracchum virum nobilem prędiuitem in arena agere.

LONGO IACTETVR SPIRA GALERO.] Aurea fascia porrigat sese faucibus,& ostendatur,& dependeat in longo pileo. spira vt ait Festus,est basis columnæ vnius tori, aut duorum: & est funis nauticus in orbem conuolutus.

SECVTOR.] Secutor est ab insequendo retiarium dictus, gestabat enim cuspidem & massam plumbeam, quæ aduersarij iaculum impediret,vt antequam ille feriret,rete, iste superaret. Isidorus, Ascensius, Mancinellus,& alij id genus,nullum discrimen cõstituunt,inter Mirmillonem, secutorem, & retiarium;& tamen plerique in luce cæcutientes politioris eruditionis interpretes contemnunt.

CVM GRACCHO.] Nobili.

SENECAM PRÆFERRE NERONI.] Ignobilem, sed virum probum.

CVIVS SVPPLICIO.] Parricidæ describitur supplicium, quo afficiendus erat Nero,qui matrem occidit, & vxorem Octauiam sororem adoptiuam, & Britannicum fratrem adoptiuum filium Claudij, ideo non debuit parari vna simia,sed plures.

PAR AGAMEMNONIDAE CRIMEN.] Orestis Agamemnonis filij, qui matrem occidit, sed vt patrem vlcisceretur, & defenderet.

SED NEC ELECTRAE IVGVLO SE POLLVIT.] Sororis suæ. Horatius lib. 2.Saty.3.

Quin ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes,
Nil sane fecit, quod tu reprehendere possis
Non Pyladen ferro violare,aususue sororem
Electram.

Nero, vt Suetonius tradit.iunxit patricidio matris, amicæ necem. Antoniam Claudij filiam, à quo fuerat adoptatus, interemit recusantem nuptias.

AVT SPARTANI SANGVINE CONIVGII.] Hermiones coniugis suæ Spartanæ,hoc est Lacedæmoniæ.

ACONITA.] Venena.

TROICA NON SCRIPSIT.]Hoc ideo, quia Nero Troados libros scripsit,vnde & maxime insaniuit.Suetonius in Nerone,Erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido , sed inconsulta.

VIRGINIVS.] Lege Verginius. vnus ex iis qui Neronem occidere voluerût,de quo Tacitus hist.lib.2.PedianusCosta omittitur ingratus principi,vt aduersus Neronem ausus,& Verginij exstimulator.

GALBA.]Authore. hi omnes à Nerone desciuerunt.Tacitus.

GRAIAEQVE APIVM MERVISSE CORONAE.] Alij habent gratæque apud Isthmios agones,victores apio coronabantur.Plutarchus.4.Symposiacon. Nero autem Istmiaco certamine inter citharœdos apio, vti mos erat,coronatus est.Honos apio in Achaia coronare victores sacri certaminis Nêmeæ.Plinius lib.9.

INSIGNIA.] Præmia vocis,coronam ex apio.

ANTE PEDES DOMITI.] Domitij, attaui Neronis dignissimi viri.

SYRMA.] Vestis tragica. has personas agens Nero saltauit.Mart. lib.12.

Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos.
Aptasti longum tu quoque syrma tibi.

Vopiscus in Carino,Iunius Messala patrimonium suum scenicis dedit, hæredibus abnegauit,matris tunicam dedit , mimæ matris, lacernam patris mimo:&recte si auiæ pallio aurato,atque purpurato pro syrmate tragœdus vteretur.

THYESTE.] De fabula Thyestis loquitur,qui Atrei fratris vxorem polluit,Atreus ei filium epulandum dedit,sol abominatus ne pollueretur aufugit.Mart.

Fugerit an mensas Phœbus,cenamque Thyestæ
Ignoro: fugimus nos Ligurine tuam.

& alibi,

Ille magis ludit qui scribit prandia sæui,
Tereos aut cenam crude Thyesta tuam.

ANTIGONES.] De Antigone Oedipi filia intelligito,quæ cæco patri misso in exilium à Creonte, dux fuit, fratribus interemptis, contra edictum Creontis funebre officium præstitit,ob id à tyranno occisa est. de hac tragœdia facta est. Seneca in Thebaide,

Cæci parentis regimen ac fessi vnicum
Patris leuamen gnata quam tanti est mihi
Genuisse: vel sic desere infaustum patrem.
In recta quid deflectis errantem gradum ?
Permitte labi,melius inueniam viam
Quam quæro solus,quæ me ab hac vita extrahat.

MENALIPPES.] De Menalippe amata à Neptuno intelligendum

est quæ filiū Bœothum peperit, hæc ab Hercule capta est in bello, quod contra Amazones gessit.

ET DE MARMOREO CITHARAM SVSPENDE COLOSSO.]Colossus statua vltra mensuram est, sensus suspende statuæ citharam, vt Nero scilicet, non trophæum.

CATILINA.] & Cethegus in patriam conspirarunt, nobilissimi fuerunt. Salustius.

VT BRACCATORVM PVERI.] Nepotes Gallorum, Gallia Braccata, Narbonensis prouiucia appellatur, quæ interno mari alluitur.

SENONVMQVE MINORES.] Posteri Senonum, qui sunt teste Plinio in Gallia Lugdunensi. Senones ciuitas firma, & magnæ inrer Gallos authoritatis. De Gallis loquitur Poëta, qui Romam incenderunt Plutarchus.

TVNICA PVNIRE MOLESTA.] Veste Melitæa, in qua ignibus addicti ardere solent. Poëtæ tunicam alimentis ignium, & illitam, & intextam molestam appellant. Brodæus lib.2. cap.9. Hinc Seneca lib. 2. Epist. commēta est eculeos, cruces, vncum, & tunicam illam alimentis ignium illitam, & intextam. Vestis è charta facta pice inlita.
Mart. lib. 10. de Mucio,

Nam cum dicatur tunica præsente molesta,
Vre manum plus est dicere, non facio.

NOVVS ARPINAS.]Ignobilis, Catilina in ignobilitatem Ciceronis inuectus. Ciceronem nouum hominem appellabat.

NOVVS ARPINAS.]Cicero nō Romanus M. Tull. Cicero Arpini nascitur matre Heluia, patre equestris ordinis, ex regio Volscorū genere, inquit Eusebius in Chronicis. Arpinum, oppidū est Volscorum, Volsci populi iūcti Latinis. Hic locus mendose legebatur apud Eusebium, sed pristinæ luci restitutus est ab eruditissimo Pontaco.

MVNICIPALIS EQVES.]Ex municipio.

TOGA.]Pax.

IN LEVCADE.]Propter Antonium & Cleopatram, qui bello nauali sub Leucade promontorio Epiri, victi sunt ab Augusto. Plutarchus, & Suetonius. id. ex bello Actiaco.

THESSALIÆ CAMPIS.]Ibi nam ab Augusto victi sunr Brutus, Cassius, & Pompeius, ex victoria Pharsalica.

ARPINAS ALIVS.] Marius, qui vixit in villa, quæ est in agro Arpinati.

FRANGEBAT VERTICE VITEM.] Marius vertice vitem frangi patiebatur, cum militabat, vel frangebat vitem, vt ille Centurio qui vocabatur, Cedo alteram. Tacitus Ann. lib. 1. & Cēturio Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram indiderant, quia fracta vite in tegro militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat.

PIGRA DOLABRA.]Castra sequebatur fabri.

HIC TAMEN CIMBROS.] Hic tamen inquit Marius ignobilis, vicit Cimbros.

ATQVE IDEO.] Mario, inquit debellante Cimbros, coruis auibus fuit miraculum ire ad maiorum cadauerum prædam, quia grandi statura sunt Galli.

LAVRO COLLEGA SECVNDA.] Secunda lauro dixit, quia secundo loco triumphauit post collegam suum, vel non solus, sed cum collega Catullo, & tamen famam, & gloriam totam Mario tribuebant, vt ait Liuius.

PLEBEIAE DECIORVM ANIMAE.] Decij pater & filius, somnio moniti, pro incolumitate populi Ro. se deuouerunt, Pompeius Lætus, in vita Decij. Decij Mures duo prioribus seculis, alter bello Hetrusco, alter Latino constanti animo, inter confertissimos hostes pro victoria patriæ se deuouētes occubuere. Hunc deuouendi morem primus creditur introduxisse Linus Codri frater, qui pro patria bello Dorico se deuouit.

PLEBEIAE.] Licet ignobiles haberentur.

ANCILLA NATVS.] Ocriculana captiua. Seruius Tullius vir ignobilis omnium consensu, ob virtutem Rex electus. Liuius.

REGVM VLTIMVS.] Tarquinius superbus.

TRABEAM.] Vestem regiam. Trabea erat togæ species ex purpura & cocco, qua operti Romanorum reges initio procedebant. Hinc, Virg. Æneid. lib. XI.

Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

Hanc vestem primum Romulus adinuenisse perhibetur, ad discretionem regij habitus. Trabea autem dicta, quòd in maiori gloria hominem transbearet, hoc est vltra, & in posterum amplioti dignitate honoris beatum faceret. Isidor.

IVVENES IPSIVS CONSVLIS.] Bruti ipsius filij, qui à patre securi percussi sunt, quia portas vrbis aperiebant, vt Tarquinius Superbus, qui ob stupratam Lucretiam ciuitate eiectus erat, intraret. Liuius Decad. I. lib. I. Brutus occidit filios, quod prodere voluissent patriam.

CVM COCLITE MVCIVS.] Mart. de Mucio lib. 10.

In matutina nuper spectatus arena,
Mucius imposuit, qui sua membra focis.

Horatius Cocles cum milites suos ab Hetruscis fessos videret, solus interim exercitum Porsenæ sustinuit, dehinc armatus Tyberim transnatauit ad suos. Liuius, & Plutarchus.

VIRGO NATAVIT.] Cloelia virgo inter obsides data Porsenæ à Romanis, ritu patrio velle se ait in ripa Tyberis, cum cæteris virginibus sacra facere. ablegatis custodibus transnatauit, & per legatos à Porsena recepta in tanto honore habita est, vt cū cæteris obsidibus in patriam remitteretur, huius rei causa, & statuam equestrem meruit inauratam, de Cloelia, vide plura apud Liuium. Claudianus.

Visceribus frustra castum Lucretia ferrum,
Mersit, & attonitum tranantis Cloelia Tybrim.

Virg. lib. 8. Æneidos.

Nec non Tarquinium eiectum Porsena iubebat,
Accipere, ingentique vrbem obsidione premebat,
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant,
Illum indignanti similem, similemque minanti
Adspiceres pontem auderet quod vellere Cocles.
Et fluuium vinclis innaret Cloelia ruptis.

MATRONIS LVGENDVS.] Propter Lucretiam scilicet vindicatam, vel quia superbo sub Tyranno, vim patiebatur castitas matronarum. Vindicius seruus indicauit filios Bruti Tarquinio velle portas reserare, quos pater securi feriit, Vindicium seruum conseruatorem patriæ manumisit, & vt delatorem dominorum cruci adfixit, quod facinus matronæ planxerunt. Liuius.

VERBERA.] Nam nudatos nobilissimos iuuenes virgis ceciderunt, postea securi percusserunt.

PRIMA SECVRIS.] Quia primus Consul Brutus secures accepit. Virg. Æneid. 6.

Vis & Tarquinios Reges animamque superbam,
Vltoris Bruti fascesque videre receptos?
Consulis imperium hic primus sæuasque secures
Accipiet, gnatosque pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.

THERSITES.] Quo non deformior alter. Thersites deformis, ignauus, & vilissimus miles fuit, vt ait Homerus.

ÆACIDE.] Achillis, Æaci nepotis. nam Pelei filius fuit, cui Vulcanus arma fabricauit.

NOMEN AB INFAMI.] Romulus, vt augeret populum Romanum, secutus Atheniensium morem Asylum constituit. Plutarch.

AVT PASTOR.] Collegit Romulus pastores.

AVT QVOD DICERE NOLO.] Id est raptor virginis, ideo ex spuriis oriundus. nam primi Romani filias Sabinorum rapuerunt, easque violarunt. ad asylum confugiebant latrones, homicidæ, & perditissimi homines, nihil detrimenti accepturi ab inimicis, non igitur vult iterum Iuuenalis intelligere latronem, vt comminiscitur Cœlius Secundus Curio, & vetus interpres à Pithœo editus.

SATYRA IX.

Ad Næuolum quendam, qui Cinædis operam præstabat, sed nullo fere quæstu: vnde sub eius persona sui temporis fœditatem & auaritiam insectatur.

SCire velim quare toties mihi, Næuole, tristis
Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprehensus habebat
Rauola, dum Rhodopes vdâ terit inguina barbâ?
5 *Nos colaphum incutimus lambenti crustula seruo.*
Non erat hac facie miserabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem vsuram præstare paratus
Circuit, & fatuos non inuenit. vnde repentè
Tot rugæ? certè modico contentus agebas
10 *Vernam equitem, conuiua ioco mordente facetus,*
Et salibus vehemens intra pomœria natis.
Omnia nunc contrà: vultus grauis, horrida siccæ
Silua comæ, nullus totâ nitor in cute, qualem
Præstabat calidi circumlita fascia visci.
15 *Sed fruticante pilo neglecta, & squalida crura.*
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia: sumit vtrumque
20 *Inde habitum facies. igitur flexisse videris*
Propositum, & vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim, vt repeto, fanum Isidis, & Ganymedem
Pacis, & aduectæ secreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non prostat femina templo?)
25 *Notior Aufidio mœchus celebrare solebas,*
Quod taceo, atque ipsos etiam inclinare maritos.
Vtile & hoc multis vitæ genus: at mihi nullum
Inde operæpretium. pingueis aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri, crassique coloris,
30 *Et male percussas textoris pectine Galli*
Accipimus, tenue argentum, venæque secundæ.

FATA regunt homines: fatum est in partibus illis,
Quas sinus abscondit. nam si tibi sidera cessant,
Nil faciet longi mensura incognita nerui,
Quamuis te nudum spumanti Virro labello 35
Viderit, & blandæ, aßiduæ, densæque tabellæ
Sollicitent. ἤθυς γὰρ γλυκέος αἴδεα κιναίδου
Quod tamen vlterius monstrum quàm mollis auarus?
Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tulisti.
Computat, atque cauet. ponatur calculus: adsint 40
Cum tabulâ pueri. numera sestertia quinque
Omnibus in rebus: numerentur deinde labores.
An facile, & pronum est agere intra viscera penem
Legitimum, atque illic hesternæ occurrere cenæ?
Seruus erit minus ille miser qui foderit agrum, 45
Quàm dominum. sed tu sanè tener, & puerum te,
Et pulcrum, & dignum cyatho, cœlóque putabas.
Vos humili asseclæ, vos indulgebitis vnquam
Cultori, iam nec morbo donare parati?
En, cui tu viridem vmbellam, cui succina mittas 50
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit, & strata positus, longáque cathedra
Munera femineis tractas secreta Kalendis.
Dic passer, cui tot montes, tot prædia seruas
Apula, tot miluos intra tua pascua lassos? 55
Te Trifolinus ager fecundis vitibus implet,
Suspectúmque iugum Cumis, & Gaurus inanis,
Nam quis plura linit victuro dolia musto?
Quantum erat exhausti lumbos donare clientis
Iugeribus paucis? meliusne hîc rusticus infans 60
Cum matre, & casulis, & cum lusore catello,
Cymbala pulsantis legatus fiet amici?
Improbus es, cùm poßis, ait: sed pensio clamat,
Posce: sed appellat puer vnicus, vt Polyphemi
Lata acies, per quam solers euasit Vlysses. 65
Alter emendus erit: namque hic non sufficit: ambo
Pascendi. quid agam bruma spirante? quid oro?
Quid dicam scapulis seruorum mense Decembri,
Et pedibus? durate, atque expectate cicadas?
Verum vt dißimules, vt mittas cetera, quanto 70

Metiris precio, quòd ni tibi deditus essem,
Deuotusque cliens, vxor tua virgo maneret?
Scis certè quibus ista modis, quàm sæpe rogaris,
Et quæ pollicitus. fugientem sæpe puellam
75 *Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, & iam*
Signabat. tota vix hæc ego nocte redemi,
Te plorante foris: testis mihi lectulus, & tu,
Ad quem peruenit lecti sonus, & dominæ vox.
Instabile, ac dirimi cœptum, & iam pœnè solutum
80 *Coniugium in multis domibus seruauit adulter.*
Quò te circumagas? quæ prima aut vltima ponas?
Nullum ergo meritum est ingrate, ac perfide, nullum,
Quòd tibi filiolus, vel filia nascitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
85 *Argumenta viri. foribus suspende coronas.*
Iam pater es: dedimus quod famæ opponere possis.
Iura parentis habes, propter me scriberis hæres:
Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.
Commoda præterea iunguntur multa caducis,
90 *Si numerum, si treis impleuero, iusta doloris*
Næuole caussa tui contrà tamen ille quid adfert?
Negligit, atque alium bipedem sibi quærit asellum,
Hæc soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas.
95 *NAM res mortifera est inimicus pumice læuis,*
Qui modò secretum commiserat: ardet, & odit,
Tanquam prodiderim quidquid scio. sumere ferrum,
Fuste aperire caput, candelam apponere valuis
Non dubitat. nec contemnas, aut despicias, quòd
100 *His opibus nunquam cara est annona veneni.*
Ergo occulta teges, vt curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, secretum diuitis vllum
Esse putas? serui vt taceant: iumenta loquentur.
Et canis, & postes, & marmora. claude fenestras,
105 *Vela tegant rimas, iunge ostia, tollito lumen*
E medio, clament omnes, propè nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet, audiet & quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri

Carptores.

Carptores. quod enim dubitant componere crimen 110
In dominos, quoties rumoribus vlciscuntur
Baltea? nec deerit qui te per compita quærat
Nolentem, & miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges quidquid paulò antè petebas
A nobis. taceant illi: sed prodere malunt 115
Arcanum, quàm subrepti potare Falerni,
Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.
VIVENDVM rectè, cùm propter plurima, tunc his
Præcipuè caussis, vt linguas mancipiorum
Contemnas. NAM lingua mali pars pessima serui. 120
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis
Quorum animas & farre suo custodit, & ære.
Iccirco vt possim linguam contemnere serui,
Vtile consilium modò sed commune, dedisti.
Nunc mihi quid suades post damnum temporis, & spes 125
Deceptas? FESTINAT enim decurrere velox
Flosculus angustæ, miseræque breuissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, vnguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.
Ne trepida: nunquam pathicus tibi deerit amicus, 130
Stantibus, & saluis his collibus, vndique ad illos
Conueniunt & carpentis, & nauibus omnes,
Qui digito scalpunt vno caput. altera maior
Spes superest: tu tantùm erucis imprime dentem.
Hæc exempla para felicibus: at mea Clotho, 135
Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.
O parui, nostríque Lares, quos thure minuto
Aut farre, & tenui soleo exornare corona.
Quando ego figam aliquid, quò sit mihi tuta senectus
A tegete, & baculo? viginti millia fenus 140
Pigneribus positis, argenti vascula puri,
Sed quæ Fabricius censor notet, & duo fortes
De grege Mæsorum, qui me ceruice locata
Securum iubeant clamoso insistere Circo.
Sit mihi præterea curuus cælator, & alter, 145
Qui multas facies pingat citò: sufficient hæc.
Quando ego pauper ero? votum miserabile, nec spes
His saltem. nam cùm pro me Fortuna rogatur:

Affigit ceras illa de naue petitas,
Quæ ſiculos cantus effugit remige ſurdo.

IN SATYRAM IX.

NÆVOLE.] O Næuole.

FRONTE OBDVCTA.] In rugas contracta.

MARSYA VICTVS.] Sicut Marſya, quem Apollo vicit in certamine muſicæ. Iulianus Imperator in epiſt. ad Iamblicum. Quiſquis autem cum diuina muſica humanam vult componere, nunqnam Marſyæ Phrygis caſum didicit. Ouid. lib. 6. Faſtorum. & Apuleius lib. 1. Floridorum. Caſus Marſyæ pictus erat in tabula affixa Marſyæ ſtatuæ. hinc Mart.

Ipſe poteſt fieri Marſya cauſidicus.

Notat ignorantiam cauſidicorum Martialis, cum dicit ſtatuam Marſyę poſſe fieri cauſidicum.

RAVOLA.] Triſtis effectus es, vt Rauola, cum deprehenderetur lambens.

RHODOPES.] Turpia illius mulieris infamis. Rhodope, meretricis nomen, quæ authore Plinio, quæſtu meretricio magnificam fecit pyramidem.

CREPEREIVS.] Pollio nepos luxurioſus erat.

CRVSTVLA.] Species operis piſtorij. Horatius.

— dant cruſtula blandi
Doctores.

ET FATVOS.] Qui ſcilicet ei pecunias credant non ſoluturo.

VERNAM EQVITEM.] Mart.

Domumque & agros implet equitibus vernis.

Et alibi.

Cuius non Syriæue Parthæue,
Nec de Capadocis eques cataſtis.

Vel cum eſſes dominus, id eſt tui iuris, & ditiſſimus viuebas parce, vt ſeruus domi natus, vel ita inquit hilare viuebas, iiſque iocis, vt verna eques videreris; ſic enim Romani vernas equites per iocos nominauere.

SALIBVS.] Facetiis vrbicis abundans. Horatius,

Sale multo vrbem defricuit.

POMERIA.] Loca quæ intra muros ſunt, hoc eſt pone muros. Varro de lingua Latina, vrbanitatem intelligit.

FASCIA VISCI.] Philotrum ſignificat Dropacem, quo ſolebat ſe accurare. Martialis,

Philotro faciemque lauas, & drepace caluam.

Fascia est qua tegitur pectus,& papillæ comprimuntur, atque crispante capillo angustius pectus arctatur. Mart.

Fascia crescentes dominæ compesce papillas.

Viscum cum resina pilos mitigat, reddit cutem glabram & nitidam. Plinius.

SYLVA.] Cesaries compta.

FRVTICANTE.] Pululante, renascente.

QVID MACIES AEGRI VETERIS.] Ita macer & decolor, vt ille qui quartana febri laborat.

FANVM ISIDIS, ET GANYMEDEM.]Statuas prope quas conueniebant Cinædi. templum pacis Vespasianus extruxit,in quo erat statua Ganymedis.

PALATIA MATRIS.] Matris deûm Cybeles ministeria, cuius templum in palatio est.

ET CEREREM.] Templum Cereris, in quo castæ esse solebant.

AVFIDIVS.] Adulter,insignis.

LACERNAS.] Vestes quæ muniant à pluuia, lacerna pallium fimbriatum,quo olim soli milites vtebantur,vnde & in distinguenda Castrensi,vrbanaque turba hos togatos,illos lacernatos vocabant.Inde autem lacernæ quasi amputatis capitibus fimbriarum, neque ita latis, vt sunt penularum.Isidorus.

ET MALE PERCVSSAS.]Male textas.

TEXTORIS GALLI.]Nam Galli viliores crassioresque vestes conficiebant. Martialis,

—me pinguis Gallia vestit.

VENAEQVE SECVNDAE.] Secundum panem dicimus. Horat. lib. 2. epist.2.

Viuit siligni,& pane secundo.

Hoc est Cibario.

NAM SI TIBI SYDERA CESSANT.] Si te non adiuuat fatum.

MENSVRA INCOGNITA.] Ante non visa, quæ excedat opinionem hominum.

VIRRO.] Diues Cinædus.

DIGNVM CYATO COELOQVE.]Ganymedem alterum puerum intelligit,raptum à Ioue ad mensæ ministerium.

ASSECLAE.]Sic dicto,vt ait Nonius ministro, quòd adsit, & omnibus iussis dominorum præsto sit.

VMBELLAM.]Velum quo vtuntur Itali ad arcendum solem, & æstus. Martialis lib.4.

Accipe quæ nimios vincant vmbracula soles.

Silicet & ventus te tua vela tegant.

SVCCINA MITTAS GRANDIA.] Gemmata dextrocheria ex electro. Plinius lib.37 proximum locum in delitiis fœminarum, tamen adhuc tantum habent, Succina eandemque omnia hæc quam gemmæ authoritatem.

FOEMINEIS KALENDIS.] Martiis, quibus mulieribus munera mittebantur, vt Sueto. in Vespasiano ait, Kalendis Martiis Iunonis sacra celebrabantur à Romanis, quia & tum Ilia compressa est à Marte, Ideo matronalia fiebant. hinc Horatius Carmi. lib.5. ad Gallam.

Saturnalia transiere tota
Nec munuscula parua, nec minora,
Misisti mihi Galla,
Scis certè puto vestra iam venire
Saturnalia Martias Kalendas,
Tunc reddam tibi Galla quod dedisti.

APVLA.] In Apulia passer. Tu mollis, & salax vt passer.

TOT MILVOS.] Vult ostendere Poëta latitudinem possessionum, tam latæ sunt, inquit, vt miluti illas non possint transuolare. Persius,

Diues arat curibus quantum non miluus oberret.

AVT MADIDVM VER INCIPIT.] Matronalibus scilicet, quæ sunt Kalendis Aprilis, tunc est natalis Veneris, vel quia Verno tempore sunt pluuiæ frequentes.

TRIFOLINVS AGER.] Campania Italica, in qua est Trifolinus ager. Mart. lib 13.

Non sum de primo fateor, Trifolina Lyæo,
Inter vina tamen septima vitis ero.

SVSPECTVMQVE IVGVM.] Valde altum, quod immineat Cumis vel quod Cumani verentur ne ruat, Misenum videtur imminere promontorium.

GAVRVS INANIS.] Gaurus mons Campaniæ inanis superexhausto, aut transacto vindemiarum tempore: vel inanis dicitur, quia omni arbore spoliatus est.

PLVRA LINIT.] Dolia recondit plura.

CYMBALA.] Cymbalum instrumentum musicum, quod in sacris matris Deûm cum tympanis adhibebatur. Mart. lib. 14.

Æra Celaneos lugentia matris amores,
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

VT POLYPHEMI LATA ACIES.] Vnicus oculus Cyclopis, quem Vlysses excæcauit. Cyclops Neptuni filius, pastor in Sicilia. Homerus Odysseæ lib. 9. Virg. Æneid. lib. 3.

Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem,
Monstrum horrendum, informe, ingens cui lumen ademptum.

Sensus. melius faciet, puerulus internuncius, & leno pulsantis cymbala, & sacerdotis Cibelei puer vnicus, vt vnica acies Polyphemi ap-

pellat,& viget me, vt alium seruum reperiam, quia solus non mihi sufficit.

BRVMA SPIRANTE.]Hyemis tempore,cum petunt calcearium,quid dicam,supple.

SCAPVLIS.] Terentius,Dum studeo esse fidelis,amisi scapulas. Sunt autem ossa humeris annexa,à quibus pendent brachia.durare, & ferre frigora,inquit dominus.

EXPECTARE CICADAS.] Æstiuum tempus, nam cicadæ æstate canunt.

TABVLAS QVOQVE RVPERAT.]Dotales tabulas frangentem, & libellum repudij volentem tibi dare,& signantem tabulas sæpius reuocaui,dormiens cum ea & satisfaciens.

QVO TE CIRCVM AGAS.]Quo te vertas.

TOLLIS ENIM ET LIBRIS.]Acta,libri in quibus parentes scribebant nomina liberorum,propter professionem scilicet, quia apud ærarium patres natorum filiorum deferebantur. Apuleius pater natum sibi filium cæterorum more professus est.

SVSPENDE CORONAS.]In signum lætitiæ.

DEDIMVS QVOD FAMÆ.] Nam qui sine liberis erant, infames habebantur,& nullo munere publico fungebantur.

PROPTER ME SCRIBERIS HÆRES.] Hæc omnia ad ius ciuile Poëta retulit, id est,meo labore habes filios,& scriberis hæres, & non pateris pœnas orbitatis.

ET DVLCE CADVCVM.] Lege Pappia Poppea ab Augusto lata, liberis orbi legata capere non poterant, sed in fiscum cadebant, vnde caduca dicta. Tacitus, lege Papia præmiis inducti,vt si à priuilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Id est, Fiscus hic patronus capit legata propter libertum, propter quem habet liberos.

SI NVMERVM, SI TRES.]Qui tres liberos suscipiebat, immunitate donabatur, nam à tutela excusabant liberi, & in fascibus sumendis prior erat, qui præstabat numero filiorum, qui ius habebant liberorum trium,vt ait Appianus,tesseram frumenti triplicem accipiebant.

Martialis.

Præmia laudato tribuit mihi Cæsar vterque,
Natorumque dedit iura paterna trium.

Et Tacitus libro 2. Annal.contra plerique nitebatur, vt numerus liberorum præpolleret,quod lex iubebat.

NEGLIGIT ATQVE ALIVM.] Te ô Næuole,sed alium quærit,qui eum corrumpat.

HÆC SOLI.] Neuolus amico dicit, tibi soli hæc secreta credidi.

NAM RES MORTIFERA.] Periculosus est Cinædus iratus, aut offensus.

PVMICE LAEVIS.] Mart. lib. 14.

Sit nobis ætate puer, non pumice leuis.

Id est mollis & effœminatus, pumex lapis ad corpora læuiganda aptissimus. Virg. Æneid lib. 12.

— ut cum latebroso pumice pastor.

Pumex vocatur eo quod spumæ densitate concretus fiat.

SVMERE FERRVM.] Occidere.

CANDELAM ADPONERE VALVIS.] Accendere domum adhibita candela, Cinædus, qui mea opera vsus est, timens ne publicetur, cædem machinatur.

FVSTE APERIRE CAPVT.] Baculo vulnerare.

ANNONA VENENI.] Id est veneni merces & copia numquam est cara diuitibus.

VT CVRIA MARTIS ATHENIS.] Quia in Areopago primus accusatus est Mars à Neptuno, eo quod filium peremisset. Tegas, occultes hæc secreta, vt curia Martis. Areopagus scilicet tacuit Athenis, vbi iudicia capitalia tractabantur tacitè, quibusdam characteribus. Vnde Persius, *nigrum sit is figere theta.*

Ibi capitale erat secreta patrum detegere. vltima hæc interpretatio verior videtur. Nam Areopagitæ silentes iudicabant. Macrob. lib. 7. Saturnal. Mars homicidij reus iudicantibus duodecim diis in eo pago, vt refert D. Augustinus de ciuit. Dei lib. 8. sex sententiis absolutus est.

IO CORYDON.] O stulte hemistichum carminis Virgiliani.

O Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit.

ARCHIMAGIRI CARPTORES.] Inferiores, qui inlata carpunt. Archimagirus est magister coquorum, vt ait Dominius Calderinus.

LIBRARIVS.] Qui libros exscribit.

BALTEA.] Lora, quibus cæsi sunt. Balteorum verbera quibus cæduntur.

IVNGE OSTIA.] Claude.

VINOSVS INEBRIET AVREM.] Impleat te ebrius secretis dominorum.

PRO POPVLO FACIENS QVANTVM LAVFELLA.] Sacrificans bonæ deæ. sic Virg. *Cum faciam vitula.*

DVM SERTA VNGVENTA.] Coronas, & aromata.

PATHICVS.] Corrumpi volens, aut corruptus cinædus.

HIS COLLIBVS.] Durante hac vrbe, vbi sunt septem colles, id est septem montibus, supra quos posita est Roma, Palatinum, Tarpeium, Viminalem, Auentinum, Cœlium, Exquilinum, & Quirinalem. Propertius.

Septem vrbs alta iugis, toto quæ præsidet orbi.

Martialis lib. 4. de hortis Martialis.

Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet aestimare Romam.

CARPENTIS ET NAVIBVS.] Ad corruptores & vehiculis venient, & nauibus.

QVI DIGITO SCALPVNT.] Pompeium mollem, & pathicum notat, qui vno digito caput scalpebat. Plutarchus in vita Pompeij, non tam mollis quam pathicus aliquis designatur. alludit ad Calui Poëtae versiculos in Pompeium, de quibus ita est apud Senecam in libris oratorum & Rhetorum, carmina quoque inquit eius, quamuis iocosa sint, plena sunt ingentis animi, dicit de Pompeio, digito caput vno scalpit, quo credas hunc sibi velle virum, quare cum Poëta Iuuenalis indicare conaretur confluere Romam pathicos omnes, hoc est eos, qui sibi viam vellent festiue, id innuit ex particula calui versiculorum.

TV TANTVM ERVCIS.] Dicitur haec herba ad coïtum inflammare, & vires dare Eruca, quasi Vrica quod ignitae sit virtutis, & in cibo saepe sumpta veneris incendium moueat. Martialis,

Sed nihil eruca faciunt, bulbique salaces.

Idem in Lupum lib. 11.

Erucam male pascit hortus vnam.

CLOTO ET LACHESIS.] Parcae, deae fati, tota vita mea hoc genere vitae delectatur.

SI PASCITVR INGVINE VENTER.] Vsque adeò infoelix sum, vt vix industria inguinis ad victum sufficiat.

LARES.] Dij familiares.

FARRE.] Mola, quę ex sale & farre cocto constabat.

EXORARE CORONA.] Coronatus floribus praecari.

A TEGETE.] A casa mendici, à mēdicitate, Varro de rustica, Sicque fiūt de cannabino, lino, iunco, palma, scirpo, vt funes, tēstes, tegetes, quae è fundo sumi non poterunt. Nonius Marcellus.

SED QVAE FABRICIVS.] Fabricius Licinius censor Cornelium Ruffinum duobus Consulatibus, & Dictatura functum speciosissime, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum in Senatorio ordine retinendum non censuit. Valerius lib. 2.

SED DVO FORTES.] Lecticarios dicit. duo fortes serui.

DE GREGE MOESORVM.] Seruorum è Moesia regione Pannoniae finitima, vnde mittebantur robustissimi serui, qui huic muneri adhibebantur. Plinius lib. 3.

CIRCO.] Circum Romani dictum putant à circuitu equorum, eo quod ibi circum metas equi currant. Isidorus. Circus dicitur omnis ambitus, & girus. Nonius, clamoso, propter clamorem populi fauentis aurigae. VOTVM MISERABILE.] verba Neuoli errorem agnoscentis.

CVRVVS CAELATOR, ET ALTER.] Id est opifices serui argentarij laboriosi, anaglipharij. Cicero. 5. Tusc. caelator, qui mihi vasa pretiosa caelet.

APPIGIT CERAS.] Auriculis, id est surda est.

ILLA DE NAVE.] Vlyssis scilicet, vt Sirenum periculum posset euadere.

CANTVS SICVLOS.] Id est Sirenum, iuxta Siciliam habitantium. Vlysses à Circe admonitus, ne alliceretur cantu Sirenum, ceram immisit auribus sociorum, seipsum vero iussit alligari malo apertis auribus, vt imperaret. Vide Homerum 12. Odysseæ.

DECII

DECII IVNII
IVVENALIS
SATYRARVM
LIBER IV.

IN SATYRAM X.

Insectatur stulta hominum vota, qui vitiis excæcati, nesciant quid optent: à diis autem nihil esse petendum colligit, quam sana mens & sensuum integritas

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus vsque
Auroram, & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multum diuersa, remota
Erroris nebula. quid enim ratione timemus
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, vt te 5
Conatus non pœniteat, votíque peracti?
Euertere domos totas optantibus ipsis
Dÿ faciles. nocitura toga, nocitura petuntur
Militia. & torrens dicendi copia, multis
Et sua mortifera est facundia. viribus ille 10
Confisus periit, admirandísque lacertis.
Sed plureis nimia congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census,
Quantò delphinis balæna Britanica maior.
Temporibus diris igitur, iussúque Neronis 15

Longinum, & magnos Senecæ prædiuitis hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors. RARVS *venit in cenacula miles.*
Pauca licet portes argenti vascula puri,
20 *Nocte iter ingressus gladium, contúmque timebis,*
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis vmbram.
CANTABIT *vacuus coram latrone viator.*
Prima ferè vota, & cunctis notissima templis:
Diuitiæ vt crescant, vt opes, vt maxima toto
25 *Nostra sit arca foro. sed nulla aconita bibuntur*
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Iámne igitur laudas, quòd de sapientibus alter
Ridebat, quoties à limine mouerat vnum,
30 *Protuleráatque pedem: flebat contrarius alter?*
Sed facilis cuiuis rigidi censura cachinni:
Mirandum est, vnde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quamquam non essent vrbibus illis
35 *Prætexta, & trabeæ, fasces, lectica, tribunal.*
Quid, si vidisset Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio sublimem in puluere Circi
In tunicâ Iouis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
40 *Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vlla?*
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem.
Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
45 *Agminis officia, & niueos ad frena Quirites,*
Defossa in loculis, quos sportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam risus inuenit ad omneis
Occursus hominum, cuius prudentia monstrat
Summos posse viros, & magna exempla daturos
50 *Veruecum in patriâ, crassóque sub aëre nasci.*
Ridebat curas, nec non & gaudia vulgi,
Interdum & lacrymas, cùm Fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum mediúmque ostenderet vnguem.

Ergo superuacuâ, aut perniciosa petuntur,
Propter quæ fas est genua incerare Deorum. 55
Quosdam præcipitat subiecta potentia magnæ
Inuidiæ, mergit longa atque, insignis honorum
Pagina, descendunt statuæ, restémque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis. 60
Iam stridunt ignes, iam follibus, atque caminus
Ardet odoratum populo caput, & crepat ingens
Seianus. deinde ex facie toto orbe secundâ
Fiunt vrceoli, pelues, sartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in capitolia magnum, 65
Cretatúmque bouem: Seianus ducitur vnco
Spectandus: gaudent omnes. quæ labra? quis illi
Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis, amaui
Hunc hominem. sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis? quo teste probauit? 70
Nil horum: verbosa, & grandis epistola venit
A Capreis: bene habet, nil plus interrogo. SED quid
Turba Remi? sequitur fortunam, vt semper, & odit
Damnatos. idem populus, si Nortia Tusco
Fauisset, si oppressa foret secura senectus 75
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum. iam pridem, ex quo suffragia nulli
Vendimus, effugit curas. nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantùm res anxius optat, 80
Panem, & Circenses, perituros audio multos.
Nil dubium: magna est fornacula: pallidulus mi
Brutidius meus ad Martis fuit obuius aram.
Quàm timeo, victus ne pœnas exigat Aiax,
Vt malè defensus! curramus præcipites, &, 85
Dum iacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.
Sed videant serui, ne quis neget, & pauidum in ius
Ceruice adstricta dominum trahat. hi sermones
Tunc de Seiano, secreta hæc murmura vulgi.
Vísne salutari sicut Seianus, habere
Tantumdem? atque illi sellas donare curuleis? 90
Illum exercitibus præponere? tutor haberi

Principis angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldaeo? vis certè pila, cohorteis,
95 *Egregios equites, & castra domestica? quid ni*
Haec cupias? & qui nolunt occidere quenquam,
Posse volunt. SED *quae praeclara, & prospera tanti,*
Vt rebus laetis par sit mensura malorum?
Huius, qui trahitur, praetextam sumere mauis:
100 *An Fidenarum, Gabiorúmque esse potestas,*
Et de mensurâ ius dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Ædilis Vlubris?
Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
Seianum. nam qui nimios optabat honores,
105 *Et nimias poscebat opes: numerosa parabat*
Excelsae turreis tabulata, vnde altior esset
Casus, & impulsae praeceps immane ruinae.
Quid Crassos, quid Pompeios euertit? & illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
110 *Summus nempe locus nulla non arte petitus,*
Magnáque Numinibus vota exaudita malignis.
AD generum Cereris sine caede, & vulnere pauci
Descendunt Reges, & siccâ morte tyranni.
Eloquium, ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
115 *Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,*
Quisquis adhuc vno partam colit asse Mineruam,
Quem sequitur custos angustae vernula capsae.
Eloquio sed vterque perit orator: vtrumque
Largus, & exundans letho dedit ingenij fons.
120 *Ingenio manus est, & ceruix caesa; nec vnquam*
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
O fortunatam natam me Consule Romam.
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. ridenda poëmata malo,
125 *Quàm te conspicuae diuina Philippica famae,*
Volueris à primâ quae proxima. saeuus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenae
Torrentem & pleni moderantem frena theatri.
Diis ille aduersis genitus fatóque sinistro.
130 *Quem pater ardentis massae fuligine lippus*

A carbone,

A carbone, & forcipibus, gladiosque parante
Incude, & luteo Volcano ad rhetora misit.
Bellorum exuuia, truncis affixa trophæis
Lorica, & fractâ de caßide buccula pendens,
Et curtum temone iugum, victaque triremis 135
Aplustre, & summo tristis captiuus in arcu,
Humanis maiora bonis creduntur: ad hæc se
Romanus, Graiusque, ac Barbarus Endoperator
Erexit: caussas discriminis atque laboris
Inde habuit. TANTO *maior famæ sitis est, quàm* 140
Virtutis. quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis titulíque cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus: ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficus: 145
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.
Expende Hannibalem: quot libras in Duce summo
Inuenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
Perfusa Oceano: Niloque admota tepenti.
Rursus ad Æthiopum populos, altosque elephantos 150
Additur imperiis Hispania: Pyrenæum
Transilit, opposuit natura Alpemque, niuemque:
Diduxit scopulos, & montem rumpit aceto.
Iam tenet Italiam, tamen vltra pergere tendit.
Actum, inquit, nil est, nisi Pœno milite portas 155
Frangimus, & media vexillum pono Suburâ.
O qualis facies, & quali digna tabellâ,
Cum Getula Ducem portaret bellua luscum!
Exitus ergo quis est, ô gloria? vincitur idem
Nempe, & in exilium præceps fugit, atque ibi magnus 160
Mirandusque cliens sedet ad prætoria Regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladij, non saxa dabunt, non tela: sed ille
Cannarum vindex, ac tanti sanguinis vltor. 165
Anulus. i demens, & sauas curre per alpeis,
Vt pueris placeas, & declamatio fias.
Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto limite mundi,

170 *Vt Gyaræ clausus scopulis, paruáque Seripho.*
Cùm tamen à figulis munitam intrauerit urbem,
Sarcophago contentus erit. MORS *sola fatetur,*
Quantula sint hominum corpuscula. creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
175 *Audet in historia: constratum classibus iisdem,*
Suppositumque rotis solidum mare. credimus altos
Defecisse amneis, epotáque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen, qualis rediit Salamine relicta,
180 *In Corum, atque Eurum solitus sæuire flagellis*
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sanè, quod non & stigmate dignum
Credidit. huic quisquam vellet seruire Deorum?
185 *Sed qualis rediit? nempe vna naue cruentis*
Fluctibus, ac tarda per densa cadauera prorâ.
Has toties optata exegit gloria pœnas.
Da spatium vitæ, multos da Iupiter annos:
Hoc recto vultu, solum hoc & pallidus optas.
190 *Sed quàm continuis, & quantis longa senectus*
Plena malis? deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem.
Pendenteisque genas, & taleis adspice rugas;
Quales vmbriferos vbi pandit Trabaca saltus,
195 *In vetulâ scalpit iam mater simia buccâ.*
Plurima sunt iuuenum discrimina: pulcrior ille
Hoc, atque ille alio: multum hic robustior illo.
Vna senum facies, cum voce trementia labra,
Et iam læue caput, madidíque infantia nasi.
200 *Frangendus misero gingiuâ panis inermi*
Vsque adeo grauis vxori, gnatisque, sibique,
Vt captatori moueat fastidia Cosso.
Non eadem vini atque cibi, torpente palato,
Gaudia. nam coitus iam longa obliuio: vel si
205 *Coneris, iacet exiguus cum ramice neruus,*
Et, quamuis tota palpetur nocte, iacebit.
An ne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
Canities? quid? quòd meritò suspecta libido est,

Quæ Venerem affectat sine viribus? adspice partis
Nunc damnum alterius. nam quæ, cantante, voluptas. 210
Sit licet eximius citharœdus, sive Seleucus,
Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat, atque tubarum
Concentus? clamore opus est, vt sentiat auris, 215
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Præterea minimus gelido iam corpore sanguis
Febre calet sola: circumsilit agmine facto
Morborum omne genus: quorum si nomina quæras,
Promtius expediam, quot circumscripserit Hirrus 220
Quot Themison ægros, autumno occiderit vno,
Quot Basilus socios, quot amauerit Hippia mœchos,
Pupillos: quot longa viros exsorbeat vno
Maura die, quot discipulos inclinet Amillus.
Percurram citiùs, quot villas possideat nunc, 225
Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis inuidet: huius
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum cenæ diducere rictum 230
Suetus, hiat tantùm, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater ieiuna. sed omni
Membrorum damno maior dementia: quæ nec
Nomina seruorum, nec vultum agnoscit amici.
Cum quo præterita cenauit nocte, nec illos, 235
Quos genuit, quos eduxit: nam codice sæuo
Heredes vetat esse suos, bona tota feruntur
Ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris,
Quod stetterat multis in carcere fornicis annis.
Vt vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt 240
Funera gnatorum, rogus adspiciendus amatæ
Coniugis, & fratris, plenæque sororibus vrnæ,
Hæc data pœna diu viuentibus, vt renouata
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mærore, & nigra veste senescant. 245
Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.

Felix nimirum, qui tot per ſæcula mortem
Diſtulit, atque ſuos iam dextra computat annos,
250 *Quique nouum toties muſtum bibit. oro, parumper*
Attendas, quantum de legibus ipſe queratur
Fatorum, & nimio de ſtamine, cum vides acris
Antilochi barbam ardentem: nam quærit ab omni,
Quiſquis adeſt, ſocio, cur hæc in tempora duret,
255 *Quod facinus dignum tam longo admiſerit æuo.*
Hæc eadem Peleus, raptum cum luget Achillem,
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troia Priamus veniſſet ad Vmbras
Aſſaraci magnis ſolennibus, Hectore funus
260 *Portante, ac reliquis fratrum ceruicibus, inter*
Iliadum lacrymas, vt primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſáque Polyxena palla,
Si foret exſtinctus diuerſo tempore: quo iam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
265 *Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit*
Euerſa, & flammis Aſiam, ferróque cadentem.
Tunc miles tremulus poſita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram ſummi Iouis, vt vetulus bos,
Qui domini cultris tenue, & miſerabile collum
270 *Præbet, ab ingrato iam faſtiditus aratro.*
Exitus ille vtcunque hominis: ſed torua canino
Latrauit rictu, quæ poſt hunc vixerat, vxor.
Feſtino ad noſtros, & Regem tranſeo Ponti,
Et Crœſum, quem vox iuſti facunda Solonis
275 *Reſpicere ad longæ iuſſit ſpatia vltima vitæ.*
Exſilium, & carcer Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis
Hinc cauſſas habuere. quid illo ciue tuliſſet
Natura in terris, quid Roma beatius vnquam.
280 *Si circumducto captiuorum agmine, & omni*
Bellorum pompa, & animam exhalaſſet opimam,
Cùm de Teutonico vellet deſcendere curru:
Prouida Pompeio dederat Campania febreis
Optandas: ſed multæ vrbes, & publica vota
285 *Vicerunt. igitur fortuna ipſius, & vrbis*
Seruatum victo caput abſtulit. hoc cruciatu

Lentulus,

Lentulus, hac pœna caruit, ceciditque Cethegus
Integer, & tacuit Catilina cadauere toto.
Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum vidit anxia mater 290
Vsque ad delicias votorum. cur tamen, inquit,
Corripias? pulchra gaudet Latona Diana.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit. cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare. filius autem 295
Corporis egregij miseros, trepidosque parentes
Semper habet. RARA est adeo concordia formæ,
Atque pudicitiæ. sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas:
Præterea castum ingenium vultumque modestum 300
Sanguine feruentem tribuat natura benigna,
Larga manu (quid enim puero conferre potest plus
Custode, & cura natura potentior omni?)
Non licet esse viros: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes. 305
Tanta in muneribus fiducia. nullus ephœbum
Deformem sæua castrauit in arce tyrannus:
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, vel
Strumosum, atque vtero pariter, gibbóque tumentem.
Nunc ergo iuuenis specie lætare tui, quem 310
Maiora exspectant discrimina. fiet adulter
Publicus, & pœnas metuet, quascunque mariti
Exigere irati: nec erit fœlicior astro
Martis, vt in laqueos nunquam incidat. exigit autem
Interdum ille dolor plus, quàm lex vlla dolori 315
Concessit. necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ: mox cùm dederit Seruilia nummos,
Fiet & illius, quam non amat: exuet omnem 320
Corporis ornatum. quid enim vlla negauerit vdis
Inguinibus, siue est hæc Hippia, siue Catulla?
Deterior totos habet illic fœmina mores.
Sed casto quid forma nocet? quid profuit olim
Hippolyto graue propositum? quid Bellerophonti? 325

Erubuit nempe hæc, ceu fa stidita, repulsa.
Nec Sthenobœa minus, quam Cressa excanduit, & se
Concussere ambæ. MVLIER sæuissima tunc est,
Cùm stimulos odio pudor admouet. elige quidnam
330 *Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris vxor*
Destinat, optimus hic, & formosissimus idem
Gentis patriciæ rapitur miser extinguendus
Messalinæ oculis: dudum sedet illa parato
Flameolo, Tyriusque palam Genialis in hortis
335 *Sternitur, & ritu decis centena dabuntur*
Antiquo: veniet cum signatoribus auspex.
Hæc tu secreta, & paucis commissa putabas.
Non, nisi legitimè, vult nubere: quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum est ante lucernas.
340 *Si scelus admittas, dabitur mora paruula, dum res*
Nota vrbi, & populo contingat Principis aureis.
Dedecus ille domus sciet vltimus: interea tu
Obsequere imperio, si tanti est vita dierum
Paucorum. quidquid leuius, meliusque putaris,
345. *Præbenda est gladio pulchra hæc, & candida ceruix.*
Nil ergo optabunt homines? si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusque sit vtile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt Dij.
350. *Carior est illis homo, quàm sibi. nos animorum*
Impulsu, cæca, magnáque cupidine ducti
Coniugium petimus, partumque vxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit vxor.
Vt tamen & poscas aliquid, voueasque sacellis
355. *Exta, & candiduli diuina tomacula porci,*
ORANDVM est, vt sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, & mortis terrore carentem:
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores,
360 *Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores*
Herculis ærumnas credat, sæuosque labores,
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare. SEMITA certè
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.

NULLUM Numen habes, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus.

IN SATYRAM X. LIB. IV.

QVÆ SVNT A GADIBVS VSQVE AVRORAM ET GANGEM.] A parte totum. Nam cùm Occidentem, & Orientem significare vellet, loca posuit, Gades scilicet & Gangem, breuiter complexus orbem. Gades insula est in Atlantico mari, Hispaniæ proxima. Ganges Indię fluuius est. à Gadibus ab Occidente, ad Gangem ad Oriẽtem. Claudianus.

Occiduis quod Gadibus arida Barce,
Quodque pratonto secedit littore Ganges.

EVERTERE DOMOS.] Dij faciles ipsis optantibus euertere domos.

NOCITVRA TOGA.] Dignitates optantibus nocituræ sunt, vel togæ dignitas nocet. Tertull. lib. de Pallio: Ego inquit nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio aduigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria obseruo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, caussas non elatro, non iudico, non milito, non regno, plus togæ lesere rempublicam quàm loricæ.

VIRIBVS ILLE CONFISVS.] Vt Milo Crotoniates, qui cùm arbores manibus scinderet, brachia eius occupata sunt, & à lupis consumptus est. Ouid.

Utque Milo robur deducere fißile tentes,
Nec poßis captas inde referre manus.

BALÆNA BRITANNICA.] Metaphora in Tiberium, & diuites, quanto maior est Balæna Delphino, id est, qui sit extra communem diuitiarum mensuram.

TEMPORIBVS DIRIS.] Tyrannicis scilicet, cum iussisset Nero omnes prædari, ad domos diuitum omnes concurrerunt, pauci ad domos pauperum.

CASSIVM.] Longinum Iurisconsultum, ac luminibus orbatum Nero iussit interfici, quòd veteri gentili stemmate Cassij percussoris Cæsaris imagines retinuisset, authore Suetonio in Nerone.

LATERANORVM.] Plautij Laterani nobilissimi viri, qui occisus imperante Nerone. Tacitus Annal. lib. 15. proximam necem Plautij Laterani Consulis designati, Nero adiungit. adeo propere, vt non amplecti liberos, non illud breue mortis arbitrium permitteret.

VT MAXIMA TOTO NOSTRA SIT ARCA FORO.] Vsque ad cerealem præfectum in foro Traiani arcas habuerunt Senatores, in quibus pecunias tutius deponebant, propterea & locus ipse in quo erant arcæ positæ, opes dictus est.

ACONITA BIBVNTVR FICTILIBVS.] Non timent venena pauperes, Aconita, id est, venena bibuntur aureis poculis, non fictilibus. Seneca in

ſcat. Iunc Tertull. hominem ſe eſſe in illo ſublimiſſimo curru admonetur.

DA NVNC ET VOLVCREM SCEPTRO.] Virgam quam Conſules portant, volucrem Aquilã, quæ in ſceptri eburnei vertice conſedit. hæc Calderinus, vel erat ei ſignum aurea Aquila, in longa haſta ſuſpenſa Dio lib. XL. quod Aquilam dicunt, eſt modicum ſacellum, & in eo Aquila aurea, conſtituiturque in omnibus legionibus. Eam vir vnus aliquis haſtæ oblongæ impoſitam portat, cuius haſtæ una pars acuta eſt, vt defigi in ſolum poſſit. in haſta non erat ſacellum, ſed in Principis erat ædicula, in qua haſta, & ſigna militaria ſeruabantur.

ET NIVEOS AD FRENA QVIRITES.] In candidis togis officium facientes, lautiſſimus diebus feſtis albatus erat, *Aut eques, aut niuei loca denſauere Tribuni.* Calphurnius eclo. 7. Paulo Æmilio eunti cum Prætura ad Iberos, conceſſos lictores à Senatu, & equo vectum albo, albaque indutum trabea, & miniſtros omnes albis veſtibus fuiſſe indutos. Domitianus authore Trãquillo, generum fratris indignè ferẽt albatos, & ipſum miniſtros habere proclamauit.

QVOS SPORTVLA.] Non amor verus, ſed ſportula.

VERVECVM IN PATRIA.] Thracia fuit patria Democriti, ex cœli vitio regiones ſolent æſtimari. Democritus exemplo eſt bonos viros vbique poſſe naſci, vt qui in Thracia barbariſſima regione natus ſit. Horatius.

Bæotum in craſſo iurares aëre natum.

CVM FORTVNÆ IPSE MINACI.] Cum fortunam contemneret, nihil dicens habere quod ab ea ſpectaret, quinimo infami digito ei turpiter inſultaret. Mart.

Rideto multum qui te Sextile cinædum,

Dixerit & digitum porrigito medium.

GENVA INCERARE.] Vota facere, vel cereis candelis oblinire genua deorum, in quibus miſericordiæ ſedes eſſe putantur, incerabat deorum genua qui votum ſuſceptum ſignabat, & ſe voti reum conſtituebat. Turneb. lib. 1. cap. 21. vota inſculpebantur aut inſcribebantur in cera, in genubus ſtatuarum. Apuleius votum in alicuius ſtatuæ fœmore aſſignaſti, igitur magus es, aut cur obſignaſti.

HONORVM PAGINA.] Ænea pagina quæ ante imagines eorum ſtans, omnes gradus honorum inſcriptos continet, quam nunc dicunt tabulam patronatus.

RESTEMQVE SEQVVNTVR.] Trahuntur. dicuntur Reſtes ſiue quod rates contineant, ſiue quod in iis reria tenduntur, effigies Piſonis traxerant in Gemonias, ac diuellebant, idque ſolet in damnatis. Tacitus.

BIGARVM.] Biga appellatur currus, cum à duobus equis iunctis trahitur. quadrigę, bigæ, trigæ, & ſeiugæ ab equorum numero & iugo dictæ.

IMPACTA SECVRIS.] Ad percutiendum acta.

IMMERITIS CABALLIS.] Quibus vehuntur hon orati. nam Poeta Equestres statuas, & Consulares dicit immer itò pœnam sustinere, aut restem sequi.

ET CREPAT INGENS SEIANVS.] Magna stat ua Ælij Seiani conflatur, quem Tiberius ad summam potentiam peruexerat. Tacitus Anna.lib. 3.& 4.

ORBE SECVNDA.] Quia pręfectus vrbi fuit secundus à Cæsare Tiberio totus orbis secundum post principem agnoscebat.

CRETATVMQVE BOVEM.] Quid tibi, inquit, prosunt Dij, cum Seiano nihil profuerint. Seianus eò honorum euectus est sub Tyberio, vt eius nata lis publicè celebraretur, & statuæ aureæ illi ponerentu r, à quo vt fur vnco trahi iussus est.

CRETATVM] Candidum. Lucretius.

Cretatumque bouem duci ad Capitolia magna.

DVCITVR VNCO] Nam damnati vnco trahebantur i n scalas gemonias, aut in Tyberim. vnde Lampridius in vita Commo di; Corpus eius vt vnco traheretur, atque in Tyberim mitteretur Senatus & populus postulauit.

A CAPREIS.] Insula in Cāpania, de qua Tacit. Ann. lib. 4. Capreas se in insulam abdidit trium millium freto ab extremis Surrentini promontorij disiun ctam, epistola venit à Tiberio, qui scripsit per Neuium, Seianum in cu stodia haberi oportere.

SI NORTIA TVSCO, VEL NVRSCIA.] Dea Hetruscorum, quæ Seianum protegere debebat. Giraldus Syntagmate 16. de Diis gentium legit, Nortia. Liuius Dec.1. lib.7. Volsiniis quoque clauos indices numeri annorum, fixos in tēplo Nursiæ Hetruscæ Deæ cōparere. Tacitus de Seiano, loqu ēs genitus Volsiniis. Ideo Volsiniēsis erat Seianus Nurscia Volsiniensium peculiaris Deæ non Nortia. Tertulianus Asculanorum Ancaria Dea, Volsinētium Nurscia, Atriculanorum, Valentia Suttinorum Nortia. Lipsius in Tacitum legit, hic Nurscia. in quibusdam etiam manuscriptis legitur Nurscia, vt N. I. Idem censeo hic legendum. male P. Nursina, & M. Mursia.

PANA ET CIRCENSES.] Panem lege. Tacitus lib. 4. hist. vulgus cui vna ex rep ubl. annonæ cura, Iunius ex Susij libro legit panem, cui assentior.

MAGNA EST FORNACVLA.] Multos habet fornax, quos exurat.

MI.] Pro mihi, Virg. *& mi genus ab Ioue summo.*

BRVTIDIVS.] Amicus Tacitus, Brutidium artibus honestis copiosum orator, & historicus fuit.

EXIGAT AIAX.] Ne occidat vt Aiax fecit.

SVMMAS DONARE CVRVLES.] Consules facere, creare magistratus tuo arbitrio.

ILLVM EXERCITIBVS.] Magistrum equitum creare.

AIAX.] Periculū est ne multi sibi inferant. Manus, Dū citari ad causam dicendā desperent de salute, vt pote male sibi cōscij imitati Aiacē. Tiā-

quillus, Citati ad causam dicendam à Tiberio, partim se domi vulnerauerunt, certi damnationis, sed ad vexationem, ignominiamque vitandam, partim in media curia venenum hauserunt. Aiax, eius citatus. Nam Aiax cùm in iudicio armorum Achillis ab Vlysse esset superatus, dolore in insaniam versus est, qui mortem Vlissi minatus, cum ad eius pascua venisset, ratus eius commilitones interficere, oues & alia pecora trucidauit, in caprum quendam, quem Vlyssem esse crediderat crudeliter sæuiit, qui simul ac cognouit, quæ per insaniam perpetrasset, gladio sibi pectus transuerberauit.

TVTOR HABERI PRINCIPIS] Patricius fieri, Iustinianus lib. 1. Institutionum, hunc Patrem principis appellat, is apud nos par Franciæ dicitur.

IN RVPE SEDENTIS] In otio viuentis, sedentis significat & diu, & turpiter vixisse Capreis Tiber. Scholiastes.

CVM GREGE CHALDÆO] Cum Magis, aut Mathematicis, Frasyllo Chaldeo vtebatur in primis Tiberius. vide Tacitum lib. 4. Anna.

CERTÆ PILA COHORTIS] Primi pilaris fieri Liuius Decad. 1. lib. 7. Primus centurio erat, quem nunc primipili appellant. pila sunt arma iaculorum & telorum. Lucanus. *Pila minantia pilis.*

CASTRA DOMESTICA.] Iuxta aggerem primus Castra posuit Seianus, id est super Diocletianos quæ dicta sunt Castra prætoria. Tacitus Ann. lib. 4. dispersas per vrbem cohortes, vna in castra conducendo. Castra autem hæc ad muros vrbis haud procul à porta viminali.

EGREGIOS EQVITES.] Equites domesticos castra domestica, qui ad Imperatoris custodiam excubabant, eques appellabatur, qui mercede aliena conductus equo meret. Mart.

Fœlix cui comes est non alienus eques.

SED QVÆ PRÆCLARA.] Quid iuuat tanti æstimare bona, si cum his & mala veniant. Plautus Amphi. Ita diis placitum, voluptati vt mœror comes consequatur.

PRAETEXTAM SVMERE MAVIS.] Id est Præfectus & Consul esse cum periculo, an securus minorem dignitatem administrare.

FIDENARVM GABIORVMQVE.] Horum oppidorum Italiæ.

PANNOSVS.] Vili panno indutus.

VACVIS AEDILIS VLVBRIS.] Desertum Italiæ oppidum. ædiles minimi magistratus annonæ, & mensuris præfecti, Gabiis desertior atque Fidenis vicus. Horat.

QVID CRASSOS.] Marcum Crassum patrem & Publ. Crassum filium qui trucidati fuerunt à Parthis. Liuius & Plutarchus.

POMPEIOS.] Pompeium magnum cum duobus filiis.

ET ILLVM.] Cæsarem Dictatorem, qui in Senatu tribus & viginti vulneribus confossus est. Sueton. in Iulio Cæsare.

SVMMVS LOCVS.]honorum culmen regnandi cupiditas.hinc D. Gregorius, Duo perdunt homines culmen dignitatis, & magnitudo peccati.

MAGNAQVE NVMINIBVS.]Dij irati exaudiunt & præstant contraria, figura petentibus.

AD GENERVM CERERIS.]Plutonem deum inferorum,qui Proserpinam filiam Cereris à se raptam tenet.

ET SICCA MORTE TYRANNI.]Incruenta ac naturali morte.

ET TOTIS QVINQVATRIBVS.] Diebus festis Mineruæ, post diem quintum iduum, vt Festus inquit, fiebant festa puerorum. Horat.

Ac potius puer, vt festis quinquatribus.

Tranquillus in Domitiano, Celebrabat in Albano Domitianus scilicet, quotannis quinquatria Mineruæ, cui collegium constituerat. sensus, Pueri quinquatribus precantur à Minerua eloquentiam, cum plerumque sit perniciosa.

COLIT ASSE MINERVAM.] Exigua mercede. nam minima præmia dabantur præceptoribus. Polit. Iuuenalis innuit mercedulam magisterij scilicet à Scholasticis dari solitam, ante quinquatria, per quos dies pueri vacabant, mineruał mercedula illa appellatur. Hor.

Ac potius puer, vt festis quinquatribus olim,
Exiguo grato que fruaris tempore raptim

CAPSÆ.]In qua signum, aut codices reponit. P. Festus. Horatius.

Et vna cum scriptore meo, capsa porrectus aperta,
Deferar in vicum vendentem thus & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

Ingenuum puerum sequebatur Capsarius. Vlpian. titulo de Manumissis vindicta, ait eum esse, qui pueri libros portet. Suetonius tradit Neronem, damnatorum liberos quosdam cum pedagogis & capsariis, vno prandio pariter iussisse necari.

ELOQVIO SED VTERQVE.] Demosthenes & Cicero, nullus enim tanti fuit ingenij: ergo affluens ingenium & eloquentia morti subiecit: Ille nam à Philippo, hic ab Antonio occisus est.

ROSTRA PVSILLI.] Rostra templum seu forum, ante curiam Hostiliam, in quo erat pulpitum ornatum, ex quo loco concionari solebant. Liuius Dec.1.lib.8. Naues Antiatium partim in naualia Romę subductæ, partim incensę, rostrisq; earum suggestum in foro extructum adornari placuit, rostraque id templum appellatum. Antonius manum & caput Ciceronis rostris iussit affigi.

O FORTVNATAM.] Hic versus est Ciceronis, quem cecinit oppressa coniuratione Catilinæ, si Cicero nihil peritus scripsisset, non interficeretur.

ficeretur. Cicero in Phormiano suo ab Herēnio & Popilio occiditur, 64. ætatis suæ anno. Ciceronis caput cū manu dextra pro rostris positū, iuxtaque coronata imago Popilij militis, qui eum occiderat. Eusebius in Chronicis. Cicero hoc versu, quam constituerat, conformaratque consulatu ait, fœlicem illo reip. statu Romam fuisse, non illo quæ ante eius consulatum fuerat male temperatis ordinibus.

MODERANTEM FRENA THEATRI.] Metaphorice cohibentem vulgi tumultum. Tacitus hist lib.2. Antiochensium theatrum, vbi illis consultare mos est, & Iust. lib. 22. Agatocles velut reip. statum formaturus, populum in thearrum ad concionem vocari iubet. Mart. lib. 5. in Marcum Antonium.

Antoni Phario nil obiectare Photino.
Et leuius tabula quam Cicerone nocens,
Quod gladium demens Romana stringis in ora.
Hoc admisisset, nec Catilina nefas.

DIIS ILLE ADVERSIS.] Philipp. Rex Macedon. cum vicisset Athenienses, & parceret ciuitati, Demosth. sibi dari ad supplicium petiuit. Verum cum hoc ageretur sumpto veneno se interemit, filius autem fabri ferrarii fuerat Demonsthen. vt innuit Iuuenalis. Scholiastes, quam matrem Euripides, aut quem patrem Demost. habuerit ipsorum quoque seculo ignotum fuit, alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditasse omnium doctorum literæ loquuntur. Valerius & Sidon. fabro progenitus spreto, cui patre polita eloquiis plus lingua fuit.

LIPPVS.] Is cui oculi iugiter distillant. lippi neque domo prodire, neque lucem ferre possunt, eo fit vt studiose quæ foris aguntur ab iis à quibus inuisuntur exquirant.

BELLORVM EXVVIÆ.] Ea quibus victi in bello exuuntur, credantur bona præstantiora.

BVCCVLA PENDENS, FRACTA DE CASSIDE.] Buccarum tegmen pendens ex galea fracta.

APLVSTRE ET SVMMO.] Id est in arcu triumphali, quæ solent imponi aplustra tabulatum ad decorandam superficiem nauis. alii dicunt rostra esse ornamenta nauium, quæ quia erant amplius quam essent necessaria, vsu etiam aplustria dicebantur. Festus.

ENDOPERATOR.] Imperator, Nonius. Imperatorem induperatorem etiam vocat Zosimi interpres.

GLORIA PAVCORVM. Id est Cæsaris, Pompeij, & aliorum.

HÆSVRI SAXIS.] Inscribendi sepulchris.

AD DISCVTIENDA FICVS.] Ficus, Caprificus, quæ ex muris erumpens saxa discutit Persius.

Nisi hoc fermentum, & quæ simul intus,
Innata est rupto iecore exierit Caprificus.

AFRICA MAVRO.] Quantum ab Oriente distendit Oceanus.

ADDITVR IMPERIIS HISPANIA.] Hannibalis, quia eam obtinuit.

PYRENEVM.] Montem altum, niueum, Italiam à Gallia, & Germania separantem.

DIDVCIT SCOPVLOS.] Hannibal dicitur primus per Alpem viam fecisse, dum saxa montium ingenia igni primum exureret, deinde acetum suprafunderet. Liuius Decad.3. lib.1. Cum cædendum esset saxum, arboribus circa immanibus deiectis detruncantisque struem ingentem lignorum faciunt; eamque cum & vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt, Ita torridam incendio rupem ferro pandunt.

POENO MILITE.] Punico milite, hoc est Carthaginiensi exercitu.

SVBVRA.] Regio Romæ celeberrima.

CVM GETVLA DVCEM.] Hannibalem oculum amisisse à fulmine ictum ait interpres à Pythœo editus, cui aduersatur Liuius Decad.3. lib.2. his verbis, Ipse Hannibal æger oculis ex verna primum intemperie variante colores, frigoraque Elephanto, qui vnus superfuerat, quod altius ex aqua extaret vectus, vigiliis tamen, & nocturno humore palustrique cœlo grauante caput, & quia medendi nec locus, nec tempus erat, altero oculo capitur.

BITHYNO THYRANNO.] Prusia. per annos sexdecim Hannibal Italia eiectus, & in Affrica victus à Scipione, & postea pulsus à ciuibus fugit ad Antiochum Syriæ regem, quem male impulsum ad bellum Romanis inferendum, victus cum Regia classe deseruit, inde descendit ad Prusiam Bithyniæ regem, quo cognito Romani legatum mittunt ad Prusiam, Quintum Flaminium, vt illi daretur perducendus Romam, quod ne fieret præuenit Hannibal hausto veneno, quod sub annuli gemma omni tempore habuerat. Liuius Decad.4. lib.9.

CANNARVM VINDEX.] Quia populus Roma. apud Cannas vicum Apuliæ, ab Hannibale occisus est. Tacitus, & Liuius, Annulus qui sumpsit vindictam de Romanis occisis apud Cannas vicum Apuliæ.

VT PVERIS PLACEAS.] Vt de te pueri studentes dicant in scholis, vel præbeas pueris materiam declamandi.

VNVS PELLÆO.] Alexandro Magno, hic natus est in Pella Macedoniæ ciuitate, cum infinitos mundos esse audiuisset, Me miserum inquit, qui ne vnum quidem adhuc consecutus sum. Curtius,

Lucanus Pellei, proles vesana Philippi.

VT GYARE CLAVSVS PARVAQVE SERYPHO.] Insulæ angustæ exulibus aptæ, vna est ex insulis Sporadum breuis admodum, altera Cycladum.

CVM TAMEN A FIGVLIS.] Babylonem significat, Persarum ciuitatem, quam condidit Semiramis Nini vxor, & coctili latere muniuit. hanc igitur vrbem ingressus Alexander deuictis Persis, veneno periit, sarcophago contentus, quem viuum mundus non ceperat, mortuus exiguo loco contentus est. Sarcophagus sepulchrum est authore Nonio.

VELIFICATVS ATHOS.] Xerxem dicit Persarum regem, qui Athon montem Macedoniæ dicitur perforasse, & immisisse terris nouum mare. Dousa. filius etiam Pontum contabulasse nauibus, atque ita exercitum in Achaiam transtulisse. Claudian.

—seu remige Medo.

Sollicitatus Athos.

Athos mons Macedoniæ,& ipse altior nubibus, tantoque sublimis,vt in Lemnum vmbra eius pertendat,quæ ab eo 76. millibus separatur. Isid.

MEDO.] Exercitu Medorum prandente, Xerxis historiarum, vt fabulosam notat, quæ à Græcis prodita multa portentosa continet.

ET MADIDIS CANTAT QVÆ SOSTRATVS ALIS.] Sostratus Poëta fuit,hic Regis facta descripsit madidis autem, ideo quia alæ eorum,qui cum sollicitudine recitant,sudant. Horatius, *sudor ad imos, manabat talos.*

SALAMINE RELICTA.] Cum victus à Græcis fugit Salamis Insula, è regione Atticæ iuxta Eginam. nam non solùm terrestri prælio superatus est, sed demum & nauali,apud Salamina profligatus à Themistocle in Asiam fugere coactus est, vna naue, siue scapha piscatoria, sine ministerio seruorum.

IN CORVM ATQVE EVRVM.] Solebat verberare. flatus. Corus & Eurus venti sunt.

IN CARCERE.] Æoli Regis ventorum.

IPSVM COMPEDIBVS.] Dicebat Xerxes vsque adeo vicisse se procellas Hellesponti, vt ventos flagris compesceret, & ipsum Neptunum compedibus vinciret.

QVI VINXERAT EVNOSIGÆVM.] Neptunum Deum maris pro mari posuit Enosigæus ἐνοσιγαῖος dictus est Neptunus, quod terram quatiat. Ammianus Marcellinus lib. 17. in Constantio, & Iuliano Anaximander ait arescentem terram nimia æstuum siccitate, aut post madores imbrium terram rimas pandere grandiores, quas penetrat supernus aër, violentus & nimius ac per eas vehementi spiritu quassatam cieri propriis sedibus; qua de causa terrores huiusmodi vaporatis temporibus,aut nimia aquarum cœlestium superfusione contingunt: Ideoque Neptunum humentis substantiæ potestatem Eunosigæon, & Sisichona Poëtæ veteres, & Theologi nuncuparunt.

MITIVS ID SANE.] Ironia,quia non cecidit ne maculam inferret,vel mitius cum Neptuno egisse, quia iniecit vincula.

STIGMATE.] Signo, quia non hoc inscribi iussit, vel quod credidit dignum Stigmate.

HVIC QVISQVAM VELLET SERVIRE DEORVM.] Quia pontem mari superposuit, finxerunt Poëtæ illi seruisse Neptunum, quemadmodum Laomedonti Regi Phrygiæ, vel propter Apolinem quia seruiuit Admeto,hoc dixit Poëta. Propertius,

Pauit,& Admeti pecudes formosus Apollo.

Hinc Euseb. Hercules cũ quo Apollo seruiuit Admeto, vbi anteà legebatur Adineto, sed castigatus est hic locus ab illustri viro Arnaldo Pontaco, vel ne dij essent tuti ab iniuriis si contingeret ei ministrare.

DA SPATIVM VITÆ.] Prolixum tempus vitæ, si exoptes.

HOC RECTO VVLTV.] Lætus, & tristis vitam longam optas.

QVALES VMBRIFEROS.] Opacas syluas esse in Affrica Poëta dicit,quales rugas simia iam mater scalpit, in vetula bucca, vbi Trabaca pandit saltus vmbriferos.

TABRACA.] Oppidum Affricæ, vbi magna est simiarum copia. Strabo lib. 17.

FASTIDIA COSSO.] Heredipetæ, captatori.

IACET EXIGVVS CVM RAMICE NERVVS.] Pœnis, ramex Græcè κιρσοκήλη, dicitur ab eo quod venæ intumescant, atque intorqueantur ramicem intestinum dicit Pulmanus.

SVSPECTA LIBIDO EST.] Quia sine vllo calore coitum desiderat.

QVEM DICAT VENISSE PVER.] Quia per ætatem nec videt, & nisi puer admoneat, nihil sponte sentit.

SELEVCVS.] Citharœdus optimus.

QVOD THEMISON ÆGROS.] Medici nomen.

HIPPIA.] Adultera.

BASILVS.] Prouinciæ spoliator. Lucanus,

Et Basilum videre ducem noua furta per æquor.

HIRCVS.] Tutor.

QVOD LONGA VIROS.] Hanc ostendit ore fuisse impuram.

QVOD DISCIPVLOS INCLINET AMILLVS.] Præceptor puerorum corrumpat pueros, & in cliuo & in curuo obscœnitatem quæ in pueris peragitur significat, *Incuruabat hylam posito Tyrinthius arcu.* Mart.

QVO TONDENTE.] Licinius ex tonsore Senator factus.

LVSCIS.] Luscus, qui altero oculo caret.

DIGITIS ALIENIS.] Chiragra debilis, qui ab alio cibatur.

DIDVCERE RICTVM.] Rictus, rixæ, rixiosæ ringitur, dici videntur, quia in diuersum rumpantur, contrariaque sint recto, quod vocabulum dictum videtur à ringendo. Paulus & P. Festus rictum ferarum dici volunt, cum Titinnius auctor sit hominis dici debere. Lucilius Saty. lib. 3. Malas tollimus, atque vtimur rictu. Nonius Marcellus, Animi rictus paruissimus. Varro. Horatius, *Ergo non satis est, risu diducere rictum, Auditoris.*

CODICE.] Sæuo teste testamento, vel elogio, in quo exheredatur

AD PHIALEM.] Impur hanc fuisse demonstrat, & artificem ad inquietandum senis inguinem.

VT VIGEANT SENSVS ANIMI.] Non sit demens, qui diu vixerit, tamen omnes effert ipse filios suos.

PLENÆQVE SORORIBVS VRNÆ.] Vrnæ vasa in quibus mortuorum ossa componebantur, postquam corpus arsisset.

REX PILIVS.] Nestor, qui dicitur tertiam vsque ætatem vixisse. Id est 300. annos. Seneca Epist. 77. Nestoris, & Statiliæ vita breuis est, quæ inscribi monumento suo iussit annis se nonaginta nouem vixisse. Muretus in hunc locum Senecæ. Nestor vixit ad nonaginta annos, non vt Latini putarunt trecentos γενεὰ, est interdum annorum triginta. Iuuenalis innuit vixisse 300. annos. Horatius lib. 2. Odæ 9.

At non ter æuo functus amabilem,
Plorauit omnes Antilochum senex annos.

Pylos enim Nestoris patria fuit in Laconia mari superincumbens.

A CORNICÆ SECVNDE.] Id est secundo loco post cornicem. Hesiodus. Cornici nouem nostras attribuit ætates. Plinius lib. 7. cap. 48. Ouid. *capitque nouem cornicis secula passa.*

QVIQVE NOVVM TOTIES.] Qui multos autumnos vidit.

ET NIMIO DE STAMINE.] Nestor queritur de stamine, quod Parcæ Deæ fatales texerunt, quæ creduntur vitam hominis, vt filum è colo deducere.

ANTILOCHI BARBAM.] Nestor filium suum plorauit Antilochum, quem Memnon auxilium patri ferentem occidit. Pindarus.

BARBAM ARDENTEM.] Id est filium ardentem in rogo.

HÆC EADEM PELEVS.] Pater Achillis conqueritur. Achilles Thetidis & Pelei filius fuit, quem ad Troiam profectum in templo Apollinis Tymbræi occisum ferunt insidiis Paridis, post simulachrum latentis, cum illuc accessisset, vt amatam Polixenam vxorem duceret, vnde fingitur tenente Apolline arcum Paridem tela in Achillem direxisse. Virg.

Dardana qui Paridis direxit tela manusque.

Hunc Pater Peleus immatura morte præuentum flebat corpus in Æacide.

ATQVE ALIVS.] Laertes pater Vlyssis propter Vlyssem naufragum, Iouem rogabat, vt animam è corpore educeret. Homerus in vltimo Odysseæ.

ASSARACI.] Id est fœlix etiam fuisset Priamus, si ante incendium Troiæ decessisset, cuius funus omnes filij deduxissent.

ASSARACI.] Aui. Iliadum. Troianarum mulierum. Cicero in primo Tusc. Priamum tanta progenie orbatum, cum ad aram confugisset manus hostilis interemit, hic si viuis filiis, incolumi regno occidisset, astante ope barbarica tectis cælatis laqueatis, vtrum tandem à bonis, an à malis discessisset?

PALLA.] Prætexta. nulli alij licebat vti, quam ei qui funus faciebat. palla honestæ mulieris vestimentum, hoc est tunicæ pallium. Nonius Marcellus. Virgilius libro 8. Æneid. *Et scissa gaudens vadit discordia palla.*

CASSANDRA.] Vates inciperet edere planctus de destructione Troiæ. Virg. *casus Cassandra canebat.*

POLIXENA.] Cum à Pyrrho ad tumulum Achillis occideretur, scidit vestem, genubusque obuoluit, vt decorè caderet. Seneca in Troade,

non paruo luet,
Iras Achillis Græcia, & magno luet
Desponsa nostris crinibus Polixena.

PARIS.] Filius Priami qui Helenam rapuerat.

POSITA TIARA.] Pileo quo in pace vtebantur. tiara ornamentum capitis. Ouid.

Tempora purpureis tentat velare tiaris.

SED TORVA CANINO.] Hecubam Priami vxorem dicit, quæ excæcato Polymnestore, cum saxis impelleretur à populo Thracum, versam canem fertur, aut quia Græcis conuicia congerebat, canem nominauerunt.

Plautus in Menech, loquens de Hecuba, omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat, itaque adeo iure cœpta appellari est canis.

REGEM TRANSEO PONTI.] Mithridatem, qui hausto veneno periit, vetus Scholiastes. relictus ab omni exercitu, quia voluit filium Pharnacem occidere, vel potius à milite Gallo Bittoco in cedem suam exorato interfectus est. Plutarchus.

ET CROESVM.] Cum interrogatus fuisset Solon à Crœso, num aliquem vidisset tam gloriose regnantem, ille dixit debere vitæ vltimæ euentum expectare: quod captus à Cyro verum esse cognouit. Plutarchus in vita Solonis. *Exilium, & carcer Minturnarumque*, de Mario Arpinate loquitur, qui Syllæ armis victus cum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis, & cum ad occidendum eum missus seruus natione Gallus, maiestate tanti viri perterritus recessisset, & impositus in nauim delatus est in Africam. Florus in Epith. Liuij lib. 77. postea abiit Carthaginem, ibi mendicauit, postea Romam venit, Syllanos occidit. Minturnæ oppidum est in Campania, propinquas habens paludes.

ANIMAM OPIMAM.] Spolia opima prima ea tempestate appellata sunt, spolia regis interfecti. Liuius Decad. 1. lib. 4. Opima spolia dicuntur, magnifica & ampla. Opimam ergo animam, id est, opima spolia referentem.

TEVTONICO CVRRV.] Marius in Italia Teutones vicerat, deque iis triumphauit. Teutones Germaniæ populi.

PROVIDA POMPEIO.] Cum Pompeius Neapoli ægrotaret, vota publicè suscepta sunt, & quia non potuit febre emori, seruatus est, vt à Cæsare vinceretur. In Ægyptum confugit, vbi 40. annos natus iussu Ptolæmei regis pupilli, authore Theodoro præceptore, cuius apud regem maxima erat authoritas, & Photino, occisus est ab Achilla, cui delegatum id facinus erat, in nauicula, antequam in terram exiret. Florus in librum CXII. Liuij, præsente vxore Cornelia, caput deinde ad Cæsarem latum est.

LENTVLVS.] Qui proditor fuit in coniuratione Catilinaria, in carcere occisus est.

CETHEGVS INTEGER.] Sine aliqua membrorum diminutione, cùm vitam laqueo amiserit, vt ait Sallustius.

CATILINA CADAVERE TOTO.] Toto cadauere integro. Nam Catilina, vt idem author est, acriter pugnans cum hostibus confossus est, longeque à suis inter hostium cadauera repertus. Poëta innuit nihil hominibus breuitate vitæ melius posse contingere.

PVLCHRA GAVDET LATONA DIANA.] Latona mater Apollinis & Dianæ, gaudet prole.

LVCRETIA.] Vxor Tarquinij Collatini, quam Tarquinius amorem eius non sustinens inuitam corrupit, propterea quod illa mortem sibi adsciuisse dicitur. Liuius Decadi. 1. lib. 1.

CVPEBAT RVTILÆ VIRGINIA GIBBVM.] Virginiam Appius Decemvir adamatam, clienti quem ob hoc induxerat in seruitutem addixit, propterea quod eam pater Virginius interemit, decemuiris imperium abro-

gatum, Appius in carcere necatus est. Liuius.

RVTILÆ.]Illius mulieris vetulæ.

SANGVINE FERVENTEM.]Cito erubescentem.

NON LICET ESSE VIROS.] Inter viros permanere formosus puer non potest, vice mulieris habetur.

EPHOEBVM.] Adolescentem adhuc leuem.

PRÆTEXTATVM LORIPEDEM.] Nobilem puerum obliquè incedentem.

STRVMOSVM.] Struma tumor est, in quo subter concreta quædam ex pute, & sanguine, quasi glandulæ oriuntur, struma ex pituita in collo erumpit.

ET POENAS.] Id est tyrannus nullum ephœbum fœdum in arce retinens castrauit, sed formosum.

ASTRO MARTIS.] Qui cum Venere deprehensus est in adulterio, felicior Marte.

MVGILIS INTRAT.] Piscis grandis capitis, postremi exilis, vt Plinius scribit capite abscondito totum se occultari credit, hic pro adultero sumitur, qui se occultat ne deprehendatur, vel mugilis, piscis, In podicem mœchorum deprehensorum solebat immitti. Catullus,

Ah tum te miserum malique fati,
Quem attractis pedibus patente porta,
Percurrent raphanique mugilesque.

SED TVVS ENDYMION.] Filius tuus pulcher, vt Endymion pastor quem Luna adamauit. Cicero lib. 1. Tusculanarum disputationum. Endymion vero, si fabulas audire volumus nescio quando in Larmo obdormiuit, qui mons est Cariæ nondum opinor experrectus. Num igitur eum curare censes, cùm Luna laboraret, à qua cōsopitus putatur, vt eum dormientem oscularetur. quod scripsit etiam Lucianus in Dialogo Veneris & Lunæ. Martial. lib. 10. ad lectorem,

Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopeus & Athys,
Quid tibi dormitor proderit Endymion.

SERVILIA.] Nomen mulieris turpissimæ, alludit ad Seruiliam Bruti matrem, cum qua Cæsar commercium libidinis habuit. Plutarchus.

ERVET OMNEM CORPORIS ORNATVM.] Pro libidine ornamenta, inquit Donat mulier, vt ad Venerem suam possit inducere filium tuum.

SIVE EST HÆC HIPPIA, SIVE CATVLLA.] Siue prodiga vt Hippia, siue auara vt Catulla. vel siue nobilis, siue plebeia.

SED CASTO.] Quasi obiectio, quid si castus fuerit, pulchritudo nocet.

HIPPOLITO.] Hippolitus ob formam à Phædra Nouerca adamatus, detestatus est concubitum. Phædra irata apud maritum stupri accusauit; at ille fugit patrem timens. Homerus 6. Iliados Mart. ad Cestum puerum,

Quanta tua est probitas, quanta præstantia formæ.

Caste puer, puero castior Hippolito.

NEMPE HÆC.] Phædra Minois filia, vxor Thesei, nouerca Hippoliti.

NEC STENOBOEA.] Præti Regis Argiuorum vxor, quæ amauit Bellerophontem, eundemque stuprum abnuentem accusauit apud maritum. Homerus.

QVAM CRESSA EXCANDVIT.] Cretensis, quæ Hippolitum amauit, scilicet Phædra filia Minois Regis Cretensium, quam Theseus interempto Minotauro secum adduxit, Cressa, Cretensis. Ouid.

Mittit amazonio Cressa puella viro.

Horatius lib.3. Ode.7.

Vt Prætum mulier perfida credulum,
Falsis impulerit criminibus nimis.
Casto Bellerophonti,
Maturare necem refert.
Narrat pæne datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolytem dum fugit abstinens.

CÆSARIS VXOR.] Vxor Claudij Messalina, quæ Caio Silio palam nupsit, inducto etiam Claudio, vt tabulas dotales obsignaret. Sueton. in Claudio. Nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat tabellas dotis, & ipse consignauerit: Inductus quasi de industria simularentur ad auertendum, transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.

MESSALINÆ OCVLIS.] Ante oculos Messalinæ occiditur Silius formosissimus, re statim cognita, vt scribit Tacitus Ann. lib.11.

FLAMMEOLO.] Quo noua nupta operitur.

GENIALIS.] Lectus qui sternitur in nuptiis in honorem genij. Fest.

CENTENA DABVNTVR.] Dos scilicet secundùm morem.

AVSPEX] Auspices solebãt nuptiis interesse. auspex eo quod auium auspicia intendat, sicut auceps quod aues capiat.

QVID PLACEAT.] Tibi, ô Sili, ni parere velis Messalinæ, & eam ducere pereundum erit ante lucernas, & in medio conuiuio nocturno quo tempore cænanoad lucernas, vel ante lucernas, antequam accendantur lucernæ, hoc est ante noctem.

POMACVLA PORCI.] Pinguia quædam viscera.

HERCVLIS ÆRVMNAS.] id est laborum gloriam ferat, & præferat labores delicijs.

ET PLVMIS SARDANAPALI.] Sardanapalus Rex Assyriorum luxuriosus, de quo Tullius. Sardanapalus ille vitiis multo quàm nomine ipso deformior, de quo Tertullianus lib. de pallio, Phisconem, & Sardanapalum tacendum est, qui nisi insignes libidinum, aliàs reges nemo nosset Sardanapalus Tarsum, atque Anchialem condidit, & in prælio victus ab Arbace, semet incendio cremauit. Hæc Eusebius in Chronicis. Hic locus Eusebij emendatus est à doctissimo, & sapientissimo Pontaco Episcopo. Nam antea legebatur occisus Sardanapalus ab Arbaro, & Arbaco.

NOS FACIMVS DEAM.] Non vtimur prudentia, & credimus fato omnia fieri. Ideo facimus fortunam Deam. Fortuna tamen meliores sequitur, vt ait

ait Saluſtius. Hinc Liuius Decad. 4. lib. 9. loquens de M. Porcio. In hoc viro tanta vis animi, ingeniique fuit, vt quocumque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur. Nulla ars, neque priuatæ, neque pulicæ rei gerendæ ei defuit, vrbanas, ruſticaſque res pariter callebat.

SATYRA XI.

Ad Perſicum amicum ſuum quem frugali conuiuio inuitarat, contra eos qui exquiſitius, lautiuſque epulantur quam facultates ferant.

ATticus eximiè ſi cenat, lautus habetur.
Si Rutilus, demens. quid enim maiore cachinno
Excipitur vulgi quàm pauper Apicius? omnis
Conuictus, thermæ, ſtationes, omne theatrum
De Rutilo. nam, dum valida, ac iuuenilia membra 5
Sufficiunt galeæ, dúmque ardens ſanguine fertur,
Non cogente quidem, ſed nec prohibente Tribuno,
Scripturus leges, & regia verba laniſtæ.
Multos porrò vides, quos ſæpe eluſus ad ipſum
Creditor introitum ſolet exſpectare macelli, 10
Et quibus in ſolo viuendi cauſſa palato eſt.
Egregius cenat, meliúſque miſerrimus horum
Et citò caſurus iam perlucente ruina.
Intereà guſtus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obſtantibus: interius ſi 15
Attendas, magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile eſt, perituram arceſſere ſummam
Lancibus oppoſitis, vel matris imagine fracta,
Et quadringentis nummis condire guloſum
Fictile. ſic veniunt ad miſcellanea Ludij. 20
Refert ergo, quis hæc eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria eſt, in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & à cenſu, famam trahit. illum ego iure
Deſpiciam, qui ſcit quanto ſublimior Atlas
Omnibus in Libya ſit montibus: hic tamen idem 25
Ignoret, quantum ferrata diſtet ab arca
Sacculus, è cælo deſcendit γνῶθι σεαυτόν
Figendum, & memori tractandum pectore, ſiue

Coniugium quaeras, vel sacri in parte Senatus
30 *Esse velis. nec enim loricam poscit Achillis*
Thersites, in qua se traducebat Vlysses
Ancipitem. seu tu magno discrimine caussam
Protegere affectas: te consule, dic tibi quis sis
Orator vehemens, an Curtius, an Matho. BVCCÆ
35 *Noscenda est mensura tuae, spectandáque rebus*
In summis, minimísque: etiam cùm piscis emetur
Nec mullum cupias, cùm sit tibi globio tantùm
In loculis. quis enim te deficiente crumena,
Et crescente gula manet exitus, aere paterno,
40 *Ac rebus mersis in ventrem, foenoris, atque*
Argenti grauis, & pecorum agrorúmque capacem?
Talibus à dominis post cuncta nouissimus exit
Anulus, & digito mendicat Pollio nudo.
Non praematuri cineres, nec funus acerbum
45 *Luxuriae, sed morte magis metuenda senectus.*
Hi plerumque gradus. conducta pecunia Romae,
Et coram dominis consumitur. inde vbi paullum
Nescio quid superest, & pallet fenoris auctor,
Qui vertere solum, Baias, & ad ostia currunt.
50 *Cedere namque foro, iam non tibi deterius, quàm*
Esquilias à feruenti migrare Subura.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Maestitia est caruisse anno Circensibus vno.
Sanguinis in facie non haeret gutta: morantur
55 *Pauci ridiculum, & fugientem ex vrbe pudorem.*
Experiere hodie, nunquid pulcherrima dictu,
Persice, non praestem vita, nec moribus, & re.
Sed laudem siliquas occultus ganeo, pultes
Coram alijs dictem puero, sed in aure placentas.
60 *Nam, cùm sis conuiua mihi promissus, habebis*
Euandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hospes, & ipse, tamen contingens sanguine caelum:
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.
Fercula nunc audi nullu ornata macellis.
65 *De Tiburtino veniet pinguissimus agro*
Haedulus, & toto grege mollior, inscius herbae,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti:

Qui plus lactis habet, quàm sanguinis, & montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.
Grandia praeterea, tortóque calentia feno 70.
Oua adsunt ipsis cum matribus, & seruatae
Parte anni, quales fuerant in vitibus, vuae:
Signinum, Syriúmque pyrum, de corbibus ijsdem
Æmula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam 75
Autumnum, & crudi posuere pericula succi:
Haec olim nostri iam luxuriosa Senatus
Cena fuit. Curius, paruo quae legerat horto,
Ipse focis breuibus ponebat oluscula: quae nunc
Squalidus in magno fastidit compede fossor, 80
Qui meminit calidae sapiat quid vulua popinae.
Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis seruare diebus,
Et natalicium cognatis ponere lardum,
Accedente noua, si quam dabat hostia, carne. 85
Cognatorum aliquis titulo ter Consulis, atque
Castrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturiùs ibat,
Erectum domito referens à monte ligonem.
Cùm tremerent autem Fabios, durúmque Catonem, 90
Et Scauros, & Fabricios, rigidíque seueros
Censoris mores etiam collega timeret:
Nemo inter curas, & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Troiugenis factura, ac nobile fulcrum: 95
Sed nudo latere, & paruis frons aerea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lasciui ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus, atque supellex.
Tunc rudis, & Graias mirari nescius arteis, 100
Vrbibus euersis praedarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus, caelatáque cassis
Romuleae simulacra ferae mansuescere iussae,
Imperij fato, & geminos sub rupe Quirinos, 105
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis, & hasta,

Pendentísque Dei periuro ostenderet hosti.
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tusco farrata catino
110. *Omnia tunc: quibus inuideas, si liuidulus sis.*
Templorum quoque maiestas præsentior, & vox
Nocte ferè media, mediámque audita per vrbem
Littore ab Oceani Gallis venientibus, & Dijs
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
115 *Hanc rebus Latiis curam præstare solebat*
Fictilis, & nullo violatus Iupiter auro.
Illa domi natas, nostráque ex arbore mensas
Tempora viderunt: hos lignum stabat in vsus,
Annosam si fortè nucem deiecerat Eurus.
120 *At nunc diuitibus cœnandi nulla voluptas,*
Nil rhombus, nil dama sapit: putère videntur
Vnguenta, atque rosæ, latos nisi sustinet orbeis
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
125 *Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus,*
Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu,
Iam nimios, capitíque graueis. hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis: nam pes argenteus illis,
Anulus in digito quod ferreus. ergo superbum
130 *Conuiuam caueo, qui me sibi comparat, & res*
Despicit exiguas. adeò nulla vncia nobis
Est eboris, nec tessellæ, nec calculus ex hac
Materia: quin ipsa manubria cultellorum
Ossea: non tamen his vlla vnquam opsonia fiunt
135 *Rancidula, haud ideo peior gallina secatur.*
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens,
140 *Et Getulus oryx, hebeti lautissima ferro*
Cæditur, & tota sonat vlmea cena Subura.
Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ
Nouit auis noster tyrunculus, ac rudis omni
Tempore, & exiguæ frustis imbutus ofellæ.
145 *Plebeios calices, & paucis assibus emtos,*

Porriget incultus puer, atque à frigore tutus,
Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus,
Quisquis erit, magno cùm poscit, poscè Latinè.
Idem habitus cunctis, tonsi, erectíque capilli,
Atque hodie tantùm propter conuiuia pexi.
Pastoris duri est hic filius: ille bubulci 150
Suspirat longo non visam tempore matrem,
Et casulam, & notos tristis desiderat hædos.
Ingenui vultus puer, ingenuíque pudoris,
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit, 155
Nec pugillareis defert in balnea raucus
Testiculos, nec vellendas iam præbuit alas,
Crassa nec opposito pauidus tegit inguina gutto.
Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit:
Namque vna atque eadem vini patria, atque ministri. 160
Forsitan exspectes, vt Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausúque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis, & acres 165
Diuitis vrticæ: maior tamen ista voluptas
Alterius sexus: magis ille extenditur, & mox
Auribus, atque oculis concepta vrina mouetur.
Non capit has nugas humilis domus: audiat ille
Testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans 170
Fornice mancipium quibus abstinet, ille fruatur
Vocibus obscœnis, omníque libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem:
Namque ibi fortunæ veniam damus. alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: hæc eadem illi 175
Omnia cùm faciant, hilares nitidique vocantur,
Nostra dabunt alios hodie conuiuia ludos,
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam,
Quid refert, tales versus qua voce legantur? 180
Sed nunc dilatis auerte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam cessare diem: non fenoris vlla
Mentio, nec, prima si luce egressa, reuerti

185 *Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat vxor,*
Humida suspectis referens multitia rugis,
Vexatásque comas, & vultum, aurémque calentem.
Protinus ante meum, quidquid dolet, exue limen:
Pone domum, & seruos, & quidquid frangitur illis,
190 *Aut perit. ingratos ante omni apone sodaleis.*
Intereà Megalesiacæ spectacula mappæ,
Idæum solenne colunt, similísque triumpho
Prædo caballorum Prætor sedet, ac, mihi pace
Immensæ, nimiaque licet si dicere plebis,
195 *Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem*
Percutit, euentum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, mæstam, attonitamque videres
Hanc vrbem, veluti Cannarum in puluere victis
Consulibus. spectent iuuenes, quos clamor, & audax
200 *Sponsio, quos cultæ decet assedisse puellæ:*
Spectent hoc nupta iuxta recubante marito,
Quod pudeat narrasse aliquem præsentibus ipsis:
Nostra bibat vernum contracta cuticula Solem,
Effugiatque togam. iam nunc in balnea salua
205 *Fronte licet vadas, quamquam solida hora supersit*
Ad sextam. facere hoc non possis quinque diebus
Continuis: quia sunt talis quoque tædia vitæ
Magna. VOLVPTATES *commendat rarior vsus.*

IN SATYRAM XI.

ATTICVS.] Per Atticum diuitem vult intelligi quemlibet, per Rutilum pauperem, quem dementem ideo dixit, quia in diuitibus, quæ humanitas dicitur, hæc in paupertate dementia habetur.

EXIMIE.] Egregie.

LAVTVS.] Non sordidus, liberalis, splendidus.

CACHINNO.] Profusa irrisione. Persius.

—sed sum petulanti splene cachinno.

APICIVS.] Vir perditæ gulæ. Atheneus lib. 1.

OMNIS CONVICTVS.] Omne conuiuium, omnes conuiuæ.

THERMÆ.] Omnes in Thermis sedentes. Thermæ balnea calida sunt, quæ Seneca sudatoria vocat.

GALEÆ.] Ferendæ, id est militiæ.

REGIA VERBA LANISTÆ.] Magnifica verba magistri gladiatorum, qui Tyrones edocebat. verba sunt vulgi præuidentis Rutilii gulosi ruinam, breui futurum est, vt ad inopian redigatur, dum est iu-

uenis poterit arma tractare, & fier gladiator *sponte*, nullo cogente tribuno.

MVLTOS PORRO VIDES.] Eos intelligit qui ex pecunia sibi credita luxuriantur, & decipiunt creditores.

MACELLI.] Domus in qua obsonia venduntur. Macellum dictum quòd ibi mactentur pecora, quæ mercantibus venduntur, vel à quodam Macello, qui in vrbe latrocinium exercebat, quo damnato Æmilius, & Fuluius Censores, statuerunt vt domus eius publicaretur, venderenturque ibi obsonia, vt ait Plutarchus in problem.

GVSTVS ELEMENTA PER OMNIA QVÆRVNT.] Id est, terram aquam, aërem, & ignem, vel per elementa, vt Antonius Geta, de quo Spartianus in eius vita, Habebat etiam istam consuetudinem, vt conuiuia, & maxime prandia per singulas literas iuberet scientibus seruis, velut in quo erat anser, aprugna, anas: item pullus, perdix, pauus, porcellus, piscis, perna, & quæ in eam litteram genera edulium caderent, & item fasianus, farta, ficus, & talia.

LANCIBVS OPPOSITIS.] Id est argentum vendet, aut matris imaginem, si in auro, vt argenro picta sit.

CONDIRE GVLOSVM FICTILE.] Hippallage, nam Gulosum pro eo quod Gulosis paratur.

SIC VENIVNT AD MISCELLANEA LVDII.] Hoc est absumptis opibus coguntur fieri Ludij, & histriones, quales conuenire solebant in Miscellis ludis. Suetonius in Caligula, edidit, & peregre spectacula in Sicilia, Syracusis hasticos ludos, & in Gallia Lugdunensi Miscellos.

QVANTO SVBLIMIOR ATLAS.] Atlas mons Mauritaniæ, Atlas frater Promethei præcipuus Astrologus dictus est, qui ob eruditionem istius disciplinæ, etiam cœlum sustinere affirmatus est. Euripides autem montem esse altissimum dicit qui Atlas vocetur.

THERSITES.] Ignauus, turpis, & deformis miles, *in qua se traducebat.* Idoneum existimabat, transferebat.

AN CVRTIVS AN MATHO.] Iactanticuli qui tantum buccas inflant, & nihil dicunt. Curtius, mediocris.

MATHO.] Infimus.

ETIAM CVM PISCIS EMETVR.] Etiam in rebus leuissimis.

NE MVLLVM.] Pretiosum piscem non debes emere, cum sis pauper. Mart.

Spirat in aduecto Mulus,
Languescit viuum de mare fortis erit.

GOBIO.] Prætium huius pisciculi. Mart. lib. 13.

In Venetis sint lauta licet conuiuia terris.
Principium cœnæ Gobius esse solet.

De Gobio Hicesius, & Diocles Nicander.

POLLIO.] Vir perditæ gulæ.

EXIT.] Deponitur annulus diminuto censu, insigne equestre.

VERTERE SOLVM.] Hoc est patriam deserere, & in aliã regionẽ fugere.

Cicero Philipp. 5. habenr enim legitimam excusationem exilii causa solum vertisse, neque esse postea restituros.

BAIAS.] Baiæ vrbs Campaniæ, vbi locus est amœnissimus.

OSTIA.] Tyberina, vt inde nauigent, loca vbi flumina recipiuntur à mari, vel fluminum exitus in mare. Britannicus.

A SVBVRA MIGRARE ESQVILIAS.] A vico feruenti, id est æstuanti ex abundantia populi, ad collem minus æstuosum, tantum illis est deserere patriam, vel forum, quantum à Subura frequentissima regione, ad Diocletianas migrare, vbi solitudo est. Scholiastes.

PERSICE.] ô Persice. amicus Iuuenalis, ad quem scribit.

GANEO.] Vorax, gulosus, edax.

SILIQVAS.] Legumina proprie siliqua est, qua legumina continentur, victum tamen intelligit.

PVLTES.] Cibos vulgares ex farina.

EVANDRVM.] Qui Herculem vili conuiuio recepit. Euander filius Carmentæ. Solinus.

TYRINRHIVS.] Vt Hercules Tyrius, agri Argiui oppidum, patria Herculis, à qua Tyrinthius dicitur. sensus. excipiam te eo apparatu, quo Euander Herculem & Æneam excepit, frugali nempe. Mart.

O bene quod sylua colitur Thyrinthius ista.

ALTER AQVIS.[Æneas, qui in Numicium fontem lapsus creditur, consecratus, flammis vero Hercules, qui in Oeta monte se incendit. Ouidius in epistolis, & Seneca in Hercule Oeteo. Tibullus.

Illic sanctus erit, quum te venerandа Numici,
Vnda Deum cælo miserit indigetem.

ALTER FLAMMIS.] Hercules, qui in monte Oeta post indutam tunicam ab Deianira sanguine Nessi infectam igni assumprus est, & in cœlum translatus, Hercules cum in morbum incidisset pestilentem, ob remedium dolorum se iecit in flammas, & sic morte functus est anno ætatis 52.

SANGVINE COELVM.] Nam ex Venere natus est, vt Hercules ex Ioue.

INSCIVS HERBÆ.] Lactans, qui adhuc herbam non contigit.

NVLLIS ORNATA MACELLIS.] Non emptæ in macello.

SIGNINVM SYRIVMQVE PYRVM.] Signinum à patria, alij à colore testacao. Syrium, à Syria, species pyrorum, & Tybur, non longe ab vrbe situm in colle.

ET MONTANI ASPARAGI.] Quia sunt & in hortis, dicti à caulis asperitate. Varro.

ÆMVLA PICENIS.] Tanquam Picena. Picenum regio Italiæ. Plinius lib. 15. poma Tyburtia. Horatius.

Picenis cedunt pomis Tyburtia succo.

CVRIVS.] Curio ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum obtulissent, repudiati sunt, non aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed iis qui haberent aurum imperare. Cicero in Catone maiore.

FOSSOR

Fossor in compede.] Seruus in ergastulis.

Si quam dabat hostia.] Si forte occiderat, vt hostiam Diis mactarent. nam carnes victimarum vendebantur. Valerius lib.2.immolatarum à magistratibus hostiarum, exta ad quæstores ærarii delata veniebant.

Qualis in Oceani fluctu testudo nataret.] Cornelius Pollio prodigi, & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii, primis temporibus Neronis docuit secare putamina testudinum in laminas, & ita lectos triclinares operiri, deinde argento, mox auro. Plinius lib. 32.

Vile caput aselli.] Scoppa collecta cap. 27. coronatæ Asellæ legendum ait. Sensus, hoc dicit, vt ostendat priscos illos seueros ruri sæpe cœnasse, vbi in liminibus agrorum spectabatur caput Aselli, veteri superstitione, nam Hetrusca disciplina, ita incommoda agrorum arceri putabantur. Palladius lib.1. & Columella.

Nunc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus leges fixisse in limite ruris.

Vel Arcadicæ asellæ.

Ruris alumni.] Rustici infantes.

Vt phalaris gauderet equus.] Id est de poculis fractis. phaleras, id est, ornamenta equorum fabricaret.

Feræ mansvescere iussæ.] A Diis, vt pueros Remum, & Romulum nutrirent, loquitur de lupa, quæ aluit Remum & Romulum. Plutarchus.

Pendentisque Dei.] Effigiem Martis, quæ erat in vertice cassidis.

Audita.] Ceditius de plebe nunciauit tribunis, se in via supra ædem Vestæ audiuisse vocem, quæ dici iuberet: Gallos aduentare. Liuius.

Violatus Iupiter auro.] Auro figuratus, fictilis Iupiter, & nullo violatus auro, hanc curam præstabat Romanis, id est quando à pauperibus Romanis fictilis fiebat, propitius erat, sed hodie aureus colitur à diuitibus, sed violatur: ideo propitius non est. Seneca ad Lucilium, Cogita Deos, cum propitii essent, fictiles fuisse.

Farrata catino.] Tusco, fictili, vasa aretina laudantur.

Farrata.] Cibus ex farre, qui primus antiquorum Latinorum fuit.

Pardus hiatu.] Pardus qui sustineat orbem.

Dama.] Capra syluestris. Mart. lib.13.

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum,
Imbelles damæ, quid nisi præda sumus.

Syenes.] Insula Ægypti in Æthiopiæ finibus, in qua magna vis Elephantorum nascitur. Plin. Mart.

Tam longe est mihi quam Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenem.

Et mauri celeres.] Apud Mauritaniã nascuntur etiam Elephanti.

Nabatheo bellua saltu.] Locus in India vbi nascuntur Elephanti. Nabathea regio Arabiæ. Seneca in Agamemnone.

Eurus Orientem mouet,
Nabathea quatiens regna.

Hinc svrgit orexis.] Libido vescendi hinc delectat cibum capere, si mensa est eburnea.
Tessellæ.] Paruæ tesseræ.
Annvlvs ferrevs.] Vt est nobis vilis annulus ferreus, ita illis mensis pes argenteus, nisi fuerint elephanti dente compositæ, D. Augusto decurias ordinante, maior pars iudicum in ferreo annulo fuit. Plinius lib. 33. cap. 1.
Manvbria.] Manubrium capulum cuiusque rei significat, Plautus, Exemi ex manu Manubrium.
Pergvla.] Coquina, in qua edulia ponuntur, vel pergulæ ædificiorum publicum spectabant ob id artifices, & magistri qui minus noti erant in illis primum solebant opera sua proponere, aut docere, vt populo innotescerent. Iosephus Scaliger. Plinius de Apelle, Perfecta opera proponebat in pergula.
Tryphei Doctoris.] Trypheus hic docebat artem structoriam in Subura, & secandi gestus cultro & ligneis ferculis referebat.
Pygargvs.] Fera est specie cerui, retiores partes albas habet, ex genere caprearum. Plin. lib. 8.
Et Scythicæ volvcres.] Fasiani. Athenæus. D. Hieronymus ad Saluinam sic scribit, Procul sint à conuiuis tuis Phasides aues, crassæ turtures, attagen Ionicus.
Et phoenicoptervs ingens.] Auis in Affrica, quæ habet pinnas colore Phœnicio, in aqua semper est, huius rostrum tam prolixum est, & curuum, vt nisi merso capire aquæ, in os ipsius non possit intrare. Phœnicopterorum præcipuum saporem esse gulæ, & nequitiæ magister docuerat Apicius. Muretus in notis in Senecam. Mart. lib. 13.

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
Nostra sapit, quid si garrula lingua foret.

Et getvlvs Orix.] Animal minus quam bubalus, quem Mauri vncem vocant, cuius pellis ad cytharas proficit. Mart.

Matutinarum non vltima præda ferarum,
Sæuus Orix constat qui mihi morte canum

Vlmea coena svbvra.] Quia laniorum codices maxime ex vlmis sunt omnes.
Afræ.] Gallinæ Numidicæ.
Pavcis assibvs.] Vili emptos.
Phryx.] Troianus.
Avt Lycivs.] Ex Lycia puer: Lycia regio minoris Asiæ.
A Mangone petitvs.] Mangones erant puerorum formæ magistri, mentiendi coloris artem probe callentes, Mangones homines vendebant. Sueton. in Domitiano, castrari mares vetuit, spadonum qui residui apud Mangones erant pretia moderatus est. Mart. lib. 1.

Millia pro puero centum me Mango poposcit.

Qvos ardens pvrpvra vestit.] Qui prætextati sunt.
Ardens pvrpvra.] Fulgens.
Nec pvgillares.] Id est instar pugillarium, vnde dictum est

ſupra à Iuuenale.

QVÆ PSALTRIA PENEM.] Maiorem, quàm ſint duo Cæſaris anticatones.

ALAS VELLENDAS.] Piloſas.

INGVINA GVTTO.] Maiorem penem, cornu.

GADITANA.] Pella, Gades Inſula Hiſpaniæ, nam laſciuæ licentiæ & impudici motus puellæ gaditanæ ſunt. Mart. lib. 5. ad Turaniam

Nec de Gadibus improbis puellæ,
Vibrabunt ſine fine prurientes
Laſciuos docili tremore lumbos.

Et alibi.

Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat,
Qui mouet in varios brachia volſa modos.

PVLCHRA PVELLA SYRIA.] Quoniam de Syris, & Afris Gadis condita eſt, duæ inſulæ ſunt hoc nomine prope Bœoticam prouinciam, teſte Plinio cap. 22. lib. 4.

INCIPIANT PRVRIRE CHORO.] Quæ ſuo motu faciunt barbatos pati pruriginem.

TESTARVM.] Cymbalorum.

OLIDO FORNICE.] Proſtibulo fœtente. Tranquillus in Nerone, qui diuiſi in fractiones plauſuum genera condiſcerent bombos, imbrices, & teſtas vocabant.

Mirum eſt, inquit Muretus variarum lectionum cap. 6. lib. x. quantopere vexatus ſit ab hominibus eruditis, verſus ille Iuuenalis Satyra 1.

QVI LACEDÆMONIVM PYTISMATE LVBRICAT ORBEM.] Vt vix vllus iam ſupereſſe videatur nouæ aut emendationi, aut interpretationi locus. Primum enim Domitius, & alij eum ſecuti pytiſmate legerunt, non pedeumate: cum Lacedæmonium orbem interpretantur annulum, putarunt hoc verſu ſignificari diuitem delicatum, qui annulum quem in digito geſtaret, identidem extraheret, ſputoque illiniret, vt habilius & commodius verſari poſſet, at Merula ſaltationis genus eſſe pythiſma, quo Lacedæmonij vterentur: Idque homo ingenuus faſſus eſt, ſe nunquam legiſſe: ſed ita ſibi in mentem veniſſe, vt ea quæ ſomniamus, tertius acceſſit Georgius Valla, qui cùm putaret vix ſatis ſibi decorum fore, ſi ad epulas aſymbolus veniret, orbem Lacedæmonium trochum eſſe dixit è pinu factum, quæ Græcè pitys diceretur. Turnebus lib. 24. cap. 28. pytiſma, ſputum, orbem trochum videri voluit, qui ſputo & ſaliua trochum, quem iacturus eſt magis lubricum & volubilem reddit, conſtat Græcanicum inquit fuiſſe. Britannicus, & vetus Scholiaſtes à Pytheo editus, & Lubinus, qui expuit ſupra marmor Lacedæmonium quo ſtratum eſt pauimentum, vt leue ſit, & ſaltantibus puellis nihil impediat pytiſmate, id eſt leui irroratione ſputi, Lipſius legit pygiſmate pædicationem intelligens. Muretus variarum lectionum lib. x. cap. vi. legit hic peteumate, & intelligit diuitem aleæ ſtudio deditum. Brodæus. Miſcella. lib. 5. cap. 26. legit pedemate, quod eſt tripudij genus. Politianus Miſcellaneorum cap. 38. legit pytiliſmate, id eſt

exercitationis genere, quod fit gesticulatione manuum, & pedum, sic & Iulius Scaliger poëtices, lib. 1. cap.22. Flauius coniectaneorum centuria 1. legit popyſmate, id eſt ſibilo, qui in re obſcœna fieri conſueuit Pulmanus, pyreiſmate. Alciatus parergon iuris lib.6. cap.3. Lacedæmonium orbem, id eſt præpoſteram venerem, orbem, metaphorice pro podice accipit, lubricat rem certe inquit obſcœnam oſtendit, ego vero ab his omnibus diſſentio, & ab ómnibus illis, quorum opiniones recenſentur à Mureto dicto libro 10. cap. 6. & à Politiano lib. 2. Miſcella. cap. 38. Porro Lacedæmonium orbem Laconicum ipſum acceperim, vt in quo ſolerent ad eum modum exerceri Dio hiſtoriarum tertio, quinquageſimo libro Laconicum in vrbe vaporiarum, aut ſudatoriorum, (ſic enim interpretari videmur poſſe, quod eſt apud eum pyriaterium) ab Agrippa ædificatum tradit, Dion Laconicum dicit appellatum, quoniam Lacedæmonij per ea tempora nudi vndique præ cunctis exercebantur. Laconicum iſtud, & Martialis innuit iſta inquiens.

Ritus ſi placeant tibi Laconum.
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine Martiaque mergi.

Sed & Columella in libro de agricultura primo ſic, attonique miramur geſtus effœminatorum, quod natura ſexum viris denegatum muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos ſpectantium, mox deinde vt apti veniamus ad ganeas cottidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exuſto ſudore ſitim quærimus iam vel ex his Columellæ verbis conſtare cuiuis poteſt, quos iam potiſſimum Poëta ſignificet, nempe eos dubio procul, qui diem totum in Laconicis iſtis gymnaſiis contererent, vncti nudique, quare etiam lubricat inquit, propter oleum, & vnguentũ, quo defricti exercebantur. Seneca etiam lib. epiſtolarum 7. ad Lucilium, nihil aliud prorſus, quàm Laconica inſinuat, ita narrans, quid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis, quid cum ſudatoriis, in quæ ſiccus vapor corpora exhauſturus includitur, vt omnis ſudor per laborem exeat. reſtat vti nunc quoniam orbem dixit, etiam doceamus fuiſſe in orbem conſtructa Laconica, quod ex libro quinto Architecturæ, apud Vitruuium patet in his verbis, Laconicon ſudationes, quæ ſunt coniungendæ tepidario, æque quam latæ fuerint, tantam altitudinem habeant, ad imam curuaturam Hemiſpherij, mediumque lumen in Hemiſpherio relinquatur, ex eoque clypeum æneum catenis pendeat, per cuius reductiones demiſſiones perficietur ſudationis temperatura, ipſumque ad circinum fieri oportere, videtur. De thermis Lacedæmoniorum vide plura apud Plutarchum in vita Alcibiadis, vix vllum reperiri poſſe verſum in omnibus antiquorum poëmatiis, puto, inquit Muretus, quem tam multi, tam varie interpretati ſint, ſed hic locus à variis varie diſcerptus integer manebit, & priſtinæ luci reſtituetur. Ille fruatur, inquit Iuuenalis, vocibus obſcœnis, omnique libidinis arte, qui nudus oleoque vnctus ſe exercet in ſudatorio, quod Laconicum πυρίωμα, ſeu quod idem eſt πυριατήριον. Non mirum eſt ſi ille qui lubricat orbem Lacedæmonium pytiſmate, id eſt,

qui se vertit in gytum nudus oleo, & vnguentis delibutus in thermis illis, delectetur verbis obscœnis, & quærat omnes artes ad exercendam libidinem, cum diues sit & opibus abundet.nam pauper cui deest victus non quærit hos ludos, qui magna mercede emuntur, sine Cerere & Baccho friget Venus. Idem Iuuenalis supra,

Non capit has nugas humilis domus,

Ideo ait.

Namque ibi fortunæ veniam damus.

Id est fortunatis, & diuitibus indulgemus, si libidinosi sint, quod idem dixisse videtur Satyra 8.

— & quæ

Turpia cerdoni Volesos, Brutosque decebunt.

Et hac Satyra. *Atticus eximie si cenat lautus habetur.*

Si Rutilus demens.

Et Satyra 4.

Nam quod turpe bonis Titio Seioque, decebat

Crispinum.

Politianus lib. II. epistolarum ad Georgium Merulam palinodiam canit. nam & ipse inquit, posterioribus scriptis non dubitem quædam interdum ex prioribus exemplo doctissimorum virorum retractare, sicuti pytilisma illud apud Iuuenalem, quoniam pytisma quoque pulchre videor posse tueri, quo Poëta illos innuat, qui cóceptos ore aquarum haustus per Laconicum spargant. hinc apud Terentium pytissare. Ex his satis apparet, quàm parum sibi constent Critici, neque leui censura dignos eos semper iudicaui, qui in castigandis veterum libris inducunt, eos non tam loquentes, quæ illi cogitarunt, quàm quæ ipsi sibi finxerunt, & ita, dum se excolere profitentur, euellunt.

MVLTITIA.] Vestimenta minutissimis foliis texta, humida propter coitum.

INTEREA MEGALESIACÆ.] Megalesia ante solem prope edebantur. Megalesia ludi erant magnæ matris, id est Cybeles. Liuius lib. 9. Decad. 3. In ædem victoriæ, quæ est in palatio pertulere Deam pridie idus Aprilis, isque dies festus fuit, populus frequens dona Deæ in Palatium, tulit lectisternium, & ludi fuere Megalesia appellata.

MAPPÆ.] Mappæ qua recumbentes inter scyphos & epulas vtebantur. Mappa, inquit Budæus, Circésium committendorum signum erat. Tranquillus de Nerone, vniuersorum se oculis in Circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente Mappam.

PRÆDO CABALLORVM.] Quia equi frangebantur in Circensibus.

IDÆVM SOLEMNE.] Cybele in Ida Phrygiæ monte religiosissimè colebatur, is ritus Romæ seruabatur. Mart.

Maternæque sacris ornentur frondibus idus.

CVTICVLA.] A cute, paruula pellis.

EFFVGIAT TOGAM.] Exuat togam. Celsus. antiqui in sole oleo se vngebant. Persius,

— curata cuticula sole.

IN SATYRAM XII.

Ad Coruinum, cui scribit se pro salute Catulli amici, qui naufragus enatauerat diis vota solututum, ac obiter in captatores testamentorum, nominatim Næuium & Histrum Pacuuium, qui ex eo quæstu ditati erant.

Natali, Coruine, die mihi dulcior hæc lux,
Qua festus promissa Deis animalia cespes
Exspectat: niueam Reginæ cædimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.
5 *Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,*
Tarpeio seruata Ioui, frontémque coruscat:
Quippe ferox vitulus, templis maturus, & aræ,
Spargendúsque mero, quem iam pudet vbera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.
10 *Si res ampla domi, similísque affectibus esset,*
Pinguior Hispulla traheretur taurus, & ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & à grandi ceruix ferienda ministro,
15 *Ob reditum trepidantis adhuc, horrendáque passi*
Nuper, & incolumem sese mirantis amici.
Nam præter pelagi casus, & fulguris ictum
Euasi, densæ cælum abscondere tenebræ
Nube vna, subitúsque antennas impulit ignis,
20 *Cùm se quisque illo percussum crederet, & mox*
Attonitus nullum conferri posse putaret
Naufragium velis ardentibus. omnia fiunt
Talia, tam grauiter, si quando poëtica surgit
Tempestas. genus ecce aliud discriminis: audi,
25 *Et miserere iterum, quamquam sint cætera sortis*
Eiusdem: pars dira quidem sed cognita multis,
Et quam votiua testantur fana tabella
Plurima. pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit & nostro similis fortuna Catullo.
Cùm plenus fluctu medius foret alueus, & iam,
30 *Alternum puppis latus euertentibus vndis*
Arboris incertæ, nullam prudentia cani

Rectoris conferret opem: decidere iactu
Cœpit cum ventis, imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damno 35
Testiculorum: adeò medicatum intelligit inguen.
Fundite quæ mea sunt dicebat cuncta Catullus,
Præcipitare volens etiam pulcherrima, vestem
Purpuream teneris quoque Mecœnantibus aptam,
Atque alias, quarum generosi graminis ipsum 40
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adiuuat aër.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, vrnæ cratêra capacem,
Et dignum sitiente Pholo, vel coniuge Fusci. 45
Adde & Bascaudas, & mille escaria, multum
Cælati, biberat quo callidus emtor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebúsque salutem?
NON propter vitam faciunt patrimonia quidam, 50
Sed vitio cæci propter patrimonia viuunt.
Iactatur rerum vtilium pars maxima: sed nec
Damna leuant. tunc, aduersis vrgentibus, illuc
Decidit, vt malum ferro summitteret, ac se
Explicat angustum, discriminis vltima quando 55
Præsidia afferimus, nauem factura minorem.
I NVNC, & ventis animam commite, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, ac septem, sic sit latissima teda.
Mox cum reticulis, & pane, ventre lagenæ 60
Adspice sumendas in tempestate secureis.
Sed postquàm iacuit planum mare, tempora postquam
Prospera vectoris, fatúmque valentius Euro,
Et pelago, postquam Parcæ meliora benigna
Pensa manu ducunt hilares, & staminis albi 65
Lanificæ, modica non multa fortior aura
Ventus adest: inopi miserabilis arte cucurrit
Vestibus extensis, & quod superauerat vnum,
Velo prora suo: iam deficientibus Austris,
Spes vitæ cum Sole redit: tum gratus Iulo, 70
Atque nouercali sedes prælata Lauino,

Conſpicitur ſublimis apex: cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile ſumen,
Et nunquam viſis triginta clara mamillis.
75 *Tandem intrat poſitas incluſa per æquora moles,*
Tyrrhenámque Pharon, porrectáque brachia rurſus,
Quæ pelago occurrunt medio, longéque relinquunt
Italiam non ſic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit: ſed trunca puppe magiſter,
80 *Interiora petit Baianæ peruia cymbæ.*
Tunc ſtagnante ſinu gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.
Ite igitur pueri, linguis, animíſque fauentes,
Sertáque delubris, & farra imponite cultris,
85 *Ac molleis ornate focos, glebámque virentem:*
Iam ſequar, & ſacro, quod præſtat, ritè peracto
Inde domum repetam, graciles vbi parua coronas
Accipiunt fragili ſimulacra nitentia cera.
Hîc noſtrum placabo Iouem, Laribúſque paternis
90 *Thura dabo, atque omneis violæ iactabo colores.*
Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos,
Et matutinis operatur feſta lucernis.
Nec ſuſpecta tibi ſint hæc, Coruine: Catullus,
Pro cuius reditu tot pono altaria, paruos
95 *Treis habet heredes. libet exſpectare, quis ægram,*
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam ſterili. verum hæc nimia eſt impenſa: coturnix
Nulla vnquam pro parte cadet. ſentire calorem
Si cœpit locuples Gallita, & Paccius, orbi:
100. *Legitimè fixis veſtitur tota tabellis*
Porticus. exiſtunt qui promittant hecatomben,
Quatinus hîc non ſunt nec venales elephanti,
Nec Latio, aut vſquam noſtro ſub ſidere talis
Bellua concipitur: ſed furua gente petita
105. *Arboribus Rutulis, & Turni paſcitur agro*
Cæſaris armentum, nulli ſeruire paratum
Priuato: ſiquidem Tyrio ſeruire ſolebant
Hannibali, & noſtris Ducibus, Regíque Moloſſo.
Horum maiores, & dorſo ferre coborteis.
110. *Partem aliquam belli, & euntem in prælia turmam.*

Nulla

Nulla igitur mora per Nouium, mora nulla per Histrum
Pacuuium, quin illud ebur ducatur ad aras,
Et cadat ante Lareis Gallitæ victima sacra,
Tantis digna Deis, & captatoribus horum.
Alter enim, si concedas mactare, vouebit
De grege seruorum magna, & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris, & frontibus ancillarum
Imponet vittas, & si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non sperat Tragicæ furtiua piacula ceruæ. 110
Laudo meum ciuem, nec comparo testamento
Mille rates: nam si Libitinam euaserit æger,
Delebit tabulas, inclusus carcere nassæ.
Post meritum sanè mirandum, atque omnia soli
Forsan Pacuuio breuiter dabit: ille superbus 125
Incedet victis riualibus. ergo vides, quam
Grande operæpretium faciat iugulata Mycenis.
Viuat Pacuuius, quæso, vel Nestora totum:
Possideat, quantum rapuit Nero montibus aurum
Exæquet, nec amet quemquam, nec ametur ab vllo. 130

IN SATYRAM XII.

Corvine.] Ad Coruinum scribit hanc Satyram.

Cespes.] Ara ex cespite, Cespes est terra in modum lateris cæsa cum herba, siue frutex recisus, & truncatus est. P. Festus. Hæc lux qua cespes Festus, id est ara ex cespite, est mihi dulcior die natali.

Reginæ.] Iunoni, per excellentiam Regina vocatur.

Pugnanti gorgone maura.] Mineruæ similis, à qua & Maura dicitur, quoniam in Mauritania iuxta Atlantem à Perseo est occisa Gorgon Medusa. Gorgones meretrices crinitas serpentib. fertur, quæ aspicientes se conuertebant in lapides, habentes vnum oculum quo inuicem vtebantur. Isid. Perseus aduersus Persas dimicauit Gorgonis meretricis capite defecto, quæ propter eximiam pulchritudinem, ita spectatores suæ mentis impotes reddebat, vt vertere eos putaretur in lapides, vt Didymus scribit in peregrina historia, & præbet scriptorem eius. Eusebius in Chronicis.

Pugnanti.] Palladi regis, seu scutum Medusæ caput sculptum tenet. Mart. lib. 2. ad Loricam Domitiani,

Accipe belligeræ crudum thoraca Mineruæ,

Ipsa Medusæ, quem timet ira Deæ,
Dum vocat, hæc, Cæsar poterit lorica vocari:
Pectore cum sacro sederit, Ægis erit.

PETVLANS QVATIT HOSTIA FVNEM.] Id est Iuuencus, qui funem, quo ligatus est rumpit.

HOSTIA.] Victima.

TARPEIO SERVATA IOVI.] Cuius templum erat in monte Tarpeio. Sueton. Capitolino Ioui, cuius templum erat in Capitolio. Nam cùm fundamenta ædis Iouis foderentur, caput humanum dicitur inuentum, vnde mons Capitolinus dictus est, qui antea Tarpeius, à Tarpeia virgine Vestali, quæ Sabinorum scutis obruta dicebatur. Eusebius in Chronicis.

FRONTEMQVE CORVSCAT.] Mouet sicut telum, quod coruscat, signum ferocitatis est.

PINGVIOR HISPVLLA.] Matrona pinguis erat.

CLITVMNI.] Fluuius qui Trenem ciuitatem Flaminiæ interfluit, hunc fluuium in Phalicis esse scribit Plinius, cuius aqua pota boues reddit candidos. Virgilius,

Hinc albi Clitumne greges, & maximà taurus
Victima sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.

MIRANTIS AMICI.] Catulli, qui tempestatem euaserat.

ANTENNAS.] Antenna lignum per transuersum in malo positum, in quo velum alligatur. Antennæ autem dictæ, quod ante amnem sint positæ, præterfluit enim eas amnis. Isidorus. Horatius lib. 1. Ode 14.

Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemant.

ET QVAM VOTIVA.] Quam naufragio liberati ponunt, antiqui enim solebant qui naufragio liberati essent pro voto pingere tabellas, & in templo Isidis ponere. Horatius,

— me tabula sacer
Votiua paries indicat, viuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deæ.

Tibullus de Iside.

Picta docet templis multa tabella tuis,

DECIDERE IACTV.] Catullus cœpit decidere, & pacisci cum ventis, iactu rerum suarum.

ARBORIS INCERTÆ.] Id est nauis.

BOETICVS.] Boëtis fluuius Hispaniæ, boëtica lana non eget tinctoris opera. Mart. lib. 14.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aëno.
Sic placeant Tyriæ, me mea tinxit ouis.

PATHENIO FACTAS.] Cælatoris nomen.

DIGNVM PHOLO VEL CONIVGE FVSCI.] Vna de centauris vel vxor Fusci, quæ ebriosa fuit. Pholus fuit centaurus. qui posset Pholo sitien-

ti satisfacere. Pholus cum Herculem hospitio susceptisset, defossum antea vini dolium extulit, cuius odorem cum propinqui & vicini Centauri olfacerent, impetu magno Pholi domum ingressi, vinum per vim occupare & auferre voluerunt, quorum Hercules multos occidit, reliquos in fugam vertit. Hunc Pholum vini auidissimum fuisse Theocritus notat. Diodorus lib. 5.

ADDE ET BASCAVDAS.] Bascauda vas Britannicum, postea Romanum fuit. Mart. lib. 14.

Barbara depictis veni bascauda Britannis,
Sed me iam mauult dicere Roma suam.

CALLIDVS EMPTOR OLYNTHI.] Philippus Pater Alexandri magni, cui Olynthum Macedoniæ ciuitatem Lasthenes, & Eutycrates prodiderunt, qui cum à Philippo proditores se nuncupari sæpe audissent, vitam laqueo finierunt. Vel Olynthus ciuitas est Thraciæ edito in loco sita, vt ait Thucidides lib. 1. quam vt testatur Demosthenes contra Æschinem, Philippus Amynthæ filius Alexandri pater emit ab Lasthene amico suo, quem pecunia corruperat. Designat poculum aureum, quod vt scribit Plinius lib. 33. cap. 4. Puluino Philippus Rex Macedonum subijciebat, cum vellet dormire.

SED VITIO CÆCI.] Id est multi sunt, qui ob hanc causam colligunt patrimonia, tantum vt habeant, & auaritiæ satisfaciant, non tamen vtantur.

SI SIT LATISSIMA TEDA.] Id est nauis ex pinu.

DIGITIS A MORTE REMOTVS.] Alludit ad dictum Philosophi cuiusdam, qui cum audisset nauem trium digitorum esse crassitudine, tantum inquit à morte absunt, qui nauigant.

STAMINIS ALBI LANIFICÆ.] Non mortem minitantia.

ALBI STAMINIS.] Fœlicitatem portendentis.

PENSA.] Pensum manipulus lanæ, vel lini, qui pendet è colo, & fuso trahitur. Inde trahere pensa, Id est nere.

MELIORA PENSA.] Meliorem fortunam.

VELO PRORA.] Artemone solo velificauerunt.

ATQVE NOVERCALI SEDES.] Albam longam significat, quam condidit Iulius Ascanius concessa nouercæ nominis ciuitate, id est Lauinio. Liuius lib. 1. Decad. 1. Nondum maturus Imperio Ascanius Æneæ filius, tamen id Imperium ei ad puberem ætatem incolume mansit, tantisper tutela muliebri, tanta indoles in Lauinia erat, res Latina & regnum auctum paternumque puero stetit.

CVI CANDIDA NOMEN SCROFA.] Alba dicta est ab alba sue, quæ triginta peperit porcos, Virg.

SVBLIMIS APEX.] Mons Albanus vbi Ascanius condidit Albam, montes Albanenses intelligit.

SCROFA.] Sus fœmina. Varro lib. 2. de re rustica, quod apud exercitum dixerit, hostes celeriter se, vt scrofa porcos discecturum, idque fecerit.

LÆTIS FRYGIBVS MIRABILE SVMEN.] Quia triginta fœtus habuit.

SVMEN.] Propriè à sugendo dictum, nam & mulieris mammam sumen veteres dici voluerunt. Nonius.

INCLVSA PER ÆQVORA MOLES.] Pontem Augusti dicit vel Traiani vel portum Hostiensem magnis molibus à Claudio extructum. Tranquillus.

TYRRHENAMQVE PHARON.] Turrim nautis in indicium extructam in mari Tyrrheno. Pharus turris est maxima, quam Græci & Latini in commune ab ipsius rei vsu pharum appellauerunt, eo quod flammarum indicio longè videatur à nauigantibus. Isidorus.

CYMBÆ BAIANÆ.] Qua vtuntur apud Baias.

STAGNANTE SINV.] Portu tranquillos fluctus habente.

GAVDENT IBI VERTICE RASO.] Serui capite raso in templo Feroniæ, pileum sumebant, & nautæ, quasi mortis seruitutem effugissent, in signum lætitiæ caput raserant: gentiles vrgente tempestate, ac nulla salutis spe affulgente capillos soliti tondere nouimus, qui liberi fiebant ea causa calui erant, quod tempestatem seruitutis videbantur effugere, sicut naufragio liberi solent.

SERTAQVE DELVBRIS.] Templa deorum sertis & coronis ornabantur, & ianua ornata est ramis lauri.

MATVTINIS OPERATVR FESTA LVCERNIS.] Festa ianua rem sacram facit, vel celebrat festa cum facibus summo mane.

COTVRNIX NVLLA.] Ironiam ad sterilitatem retulit, nulla coturnix occiditur pro patre febricitante. vilis auis, Plinius, apud mensas Romanorum damnabatur, quia laborat morbo comitiali.

SENTIRE COLOREM.] Ægrotare minusculam febrim colorem propriè appellari vult. Lipsius Epist. 2. id est si orbus minimo morbo laboret, sacrificant.

GALLITA.] Magistra libidinum Neronis.

PACCIVS.] Diues Iuuenalis tempore, vel nomina sunt orborum diuitum. Mart. *Munera qua cuperet Paccius esse sua.*

LEGITIMÆ FIXIS.] Id est deuotis præcibus implentur.

EXISTVNT QVI PROMITTANT HECATOMBEM.] Sacrificium centum boum promittunt, vt moriantur illi, à quibus se heredes scribi poscunt, Capitolinus in Maximo, & Balbino. Hecatombe autem tale sacrificium est, centeum aræ vno in loco cespititiæ extruuntur, & ad eas centum sues, centum oues mactantur. Nam si Imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, & cætera huiusmodi animalia centena feriuntur, quodquidem etiam Græci quondam fecisse dicuntur, quum pestilentia laborarent.

NEC VENALES ELEPHANTI.] Quos immolet.

SED FVRVA GENTE.] Nigra, ex India.

ARBORIBVS RVTVLIS.] Apud Lauinium, in Hetruria scilicet.

CÆSARIS.] Domitiani.

REGIQVE MOLOSSO.] Pyrrho Epirotarum Regi.

EBVR.] Elephas.

NOVIVM, HISTVRM.] Captatores hereditatum.

IPHIGENIA.] Filia mactanda pro salute amici orbi, vti Iphigenia ab Agamemnone patre, vt Dianæ ira placaretur, pro qua quidem cerua ab ipsa Diana supposita est, ideo piacula furtiua vocat, quia expiationem furata est. Euripides & Virgilius lib. 2. Æneidos:

Suspensi Eurypilum scitatum oracula Phœbi
Mittimus, isque adytis hæc tristia dicta reportat,
Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,
Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras.

TRAGICÆ CERVÆ.] Cuius fit mentio in Tragœdia Sophoclis, & Euripidis.

LAVDO MEVM CIVEM.] Ironicos, sapiens est meus ciuis Pacuuius, qui filiam pro salute amici mactare est paratus, nam pluris facit testamentum, quàm salutem mille nauium, pro qua Agamemnon filiam suam Iphigeniam immolauit, & naues seruauit. Pacuuius vero viuum hominem, qui potest aliud facere testamentum.

LIBITINAM.] Mortem. Libitina propriè Dea funerum. Horatius,

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

NASSÆ.] Vasis ex viminibus confecti ad capiendos pisces, nassa ex viminibus tamquam rete contextum. Isid. vel NASSÆ. Physici, qui infirmos in suis domiciliis curabat.

Alij Nattæ. Medici. Angelus Politianus, & liber Collegij Catharinæ manuscriptus, & in margine annotauit aliquis, Nattæ, id est medici.

INCLVSSVS CARCERE NASSÆ.] Id est munere captatoris ligatus & captus. Metaphora sumpta à piscibus, qui inclusi nassa nequeunt exire. Prima sententia verior est. Silius,

Haud secus, & vitreas solers piscator ad vndas,
Ore leuem patulo texens de vimine nassam.

VICTIS RIVALIBVS.] Æmulis hæreditatem captantibus.

FACIAT IVGVLATA MYCENIS.] Iphigenia. Filia Agamemnonis, veluti filia captatoris. Mycenæ fuit Agamemnonis patria.

VEL NESTORA TOTVM.] Tribus seculis. Nestor trecentos annos vixit.

RAPVIT NERO.] Proscribendo diuites, & detrahendo dona ex templis.

DECII IVNII

IVVENALIS

SATYRARVM

LIBER V.

SATYRA XIII.

Ad Caluinum, quem consolatur vehementer dolentem, propter pecuniam ab eo apud quem deposuerat, sibi abnegatam, dicens non carere supplicio eum, qui fidem non seruat: nam vt maximè hominum iudicium euadat, talis conscientiæ carnificinam non euadet.

EXemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori prima est hæc vltio, quòd se
Iudice, nemo nocens absoluitur, improba quámuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.
Quid sentire putas omneis, Caluine, recenti
5 *De scelere, & fidei violatæ crimine? sed nec*
Tam tenuis census tibi contigit, vt mediocris
Iactura te mergat onus: nec rara videmus,
Quæ pateris. casus multis hic cognitus, ac iam
10 *Tritus, & è medio Fortunæ ductus aceruo.*
Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.
Tu quamuis leuium minimam, exiguámque malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
15 *Visceribus, sacrum tibi quòd non reddat amicus*
Depositum. stupet hæc, qui iam post terga reliquit

Sexaginta annos Fonteio Consule natus?
At nihil in melius tot rerum proficis vsu?
Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis,
Victrix Fortunæ sapientia. DICIMVS *autem* 20
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec iactare iugum vita didicere magistra.
Quæ tam festa dies, vt cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæsitum, & partos gladio, vel pyxide nummos? 25
RARI *quippe boni: numero vix sunt totidem, quot*
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.
Nona ætas agitur, peioráque sæcula ferri
Temporibus: quorum sceleri non inuenit ipsa
Nomen, & à nullo posuit natura metallo. 30
Nos hominum, Diuúmque fidem clamore ciemus,
Quanto Fæsidium laudat vocalis agentem
Sportula. dic senior bulla dignissime, nescis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgo moueat, cùm 35
Exigis à quoquam ne peieret, & putet vllis
Esse aliquod Numen templis, araque rubenti?
Quondam hoc indigenæ viuebant more, priùs quàm
Sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens. tunc, cùm virguncula Iuno, 40
Et priuatus adhuc Idæis Iupiter antris:
Nulla super nubes conuiuia Cælicolarum,
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis vxor
Ad cyathos, & iam siccato nectare tergens
Brachia Volcanus Liparæâ nigra tabernâ: 45
Prandebat sibi quisque Deus: nec turba Deorum
Talis, vt est hodie, contentáque sidera paucis
Numinibus, miserum vrgebant Atlanta minori
Pondere. nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium, aut sicula toruus cum coniuge Pluton: 50
Nec rota, nec Furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna: sed infernis hilares sine Regibus Vmbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis æuo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si

Barbato cuicunque puer, licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.
Tam venerabile erat praecedere quatuor annis,
Primáque par adeò sacrae lanugo senectae.
60 *Nunc, si depositum non inficietur amicus,*
Si reddat veterem cum tota aerugine follem,
Prodigiosa fides, & Tuscis digna libellis,
Quaeque coronata lustrari debeat agna.
Egregium, sanctúmque virum si cerno, bimembri
65 *Hoc monstrum puero, & miranti iam sub aratro*
Piscibus inuentis, & fetae comparo mulae
Sollicitus, tanquam lapides effuderit imber,
Examénque apium longa consederit vua
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
70 *Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.*
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilega. quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? maiorem tertius illa
Summam, quam patulae vix ceperat angulus arcae?
75 Tam *facile, & pronum est superos contemnere testeis,*
Si mortalis idem nemo sciat. aspice, quanta
Voce neget, quae sit ficti constantia vultus.
Per Solis radios, Tarpeiáque fulmina iurat,
Et Martis frameam, & Cirrhaei spicula vatis:
80 *Per calamos venatricis, pharetrámque puellae,*
Pérque tuum pater Aegei Neptune tridentem:
Addit & Herculeos arcus, hastámque Mineruae,
Quidquid habent telorum armamentaria caeli.
Si verò & pater est, comedam, inquit flebile gnati
85 *Sinciput elixi, Pharióque madentis aceto.*
Sunt qui in Fortunae iam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moueri
Natura voluente vices & lucis, & anni,
Atque ideo intrepidi quaecunque altaria tangunt.
90 *Est alius metuens ne crimen pœna sequatur.*
Hic putat esse Deos, & peierat, atque ita secum.
Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel caecus teneam, quos abnego, nummos.

Et phthisis, & vomicæ putres, & dimidium crus 96
Sunt tanti? pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec
Archigene. quid enim velocis gloria plantæ
Præstat, & esuriens Pisææ ramus oliuæ?
Vt sit magna, tamen certè lenta ira Deorum est. 100
Si curant igitur cunctos punire nocenteis,
Quando ad me venient? sed & exorabile Numen
Fortasse experiar: solet his ignoscere. multi
Committunt eadem diuerso crimina fato:
Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema. 105
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmant. tunc te sacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere immo vltro, ac vexare paratus.
Nam, cùm magna malæ superest audacia caussæ,
Creditur à multis fiducia. mimum agit ille, 110
Vrbani qualem fugitiuus scurra Catulli:
Tu miser exclamas, vt Stentora vincere possis,
Vel potiùs quantum Gradiuus Homericus. audis
Iuppiter hæc nec labra moues, cùm mittere vocem
Debueras vel marmoreus, vel aeneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura soluta 115
Ponimus & sectum vituli iecur, albáque porci
Omenta? vt video, nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras, statuámque Bathylli.
Accipe quæ contra valeat solatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit 120
A Cynicis tunica distantia, non Epicurum
Suspicit exigui lætum plantaribus horti.
Curentur dubij medicis maioribus ægri:
Tu venam vel discipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum 125
Ostendis, taceo, nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma:
Quandoquidem accepto claudenda est ianua damno,
Et maiore domus gemitu, maiore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera. nemo dolores 130
Fingit in occasu, vestem diducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto.

Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
135 *Sed si cuncta vides simili fora plena querela:*
Si decies lectis diuersa in parte tabellis
Vana superuacui dicunt cheirographa ligni,
Arguit ipsorum quos littera, gemmáque princeps
Sardonychus, loculis quæ custoditur eburnis:
140 *Te nunc delicias extra communia censes*
Ponendum: quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ouis.
Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos maiora ad crimina. confer
145 *Conductum latronem, incendia sulfure cœpta,*
Atque dolo, primos cùm ianua colligit igneis:
Confer & hos veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorande rubiginis, & populorum
Dona, vel antiquo positas à Rege coronas.
150 *Hæc ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui*
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet solitus totum conflare Tonantem?
Confer & artifices, mercatoremque veneni,
155 *Et deducendum corio bouis in mare, cum quo*
Clauditur aducrsis innoxia simia fatis.
Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus vrbis
Vsque à Lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
160 *Sufficit vna domus. paucos consume dies, &*
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidũ guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroë crasso maiorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flauam
165 *Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?*
Nempe quòd hæc illis natura est omnibus vna.
Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmæus paruus currit bellator in armis:
Mox impar hosti, raptúsque per aëra curuis
170 *Vnguibus à sæua fertur grue. si videas hoc*
Gentibus in nostris, risu quatiere: sed illic,
Quamquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet

Nemo, vbi tota cohors pede non est altior vno.
Nulláue periuri capitis, fraudísque nefandæ
Pœna erit? abreptum crede hunc grauiore catena 175
Protinus, & nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio. manet illa tamen iactura, nec vnquam
Depositum tibi sospes erit: sed corpore trunco
Inuidiosa dabit minimus solatia sanguis.
At vindicta, bonum vita iucundius ipsa. 180
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut leuibus videas flagrantia caussis.
Quantulacunque adeò est occasio, sufficit iræ
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcíque senex vicinus Hymetto, 185
Qui partem acceptæ sæua inter vincla cicutæ
Accusatori nolet dare. plurima felix
Paullatim vitia, atque errores exuit omneis
Prima docens rectum sapientia: quippe minuti
Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas 190
Vltio. continuò sic collige, QVOD *vindicta*
Nemo magis gaudet, quàm fœmina: cur tamen hos tu
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum? 195
Pœna autem vehemens, ac multo sæuior illis,
Quas & Cædicius grauis inuenit, aut Rhadamantus,
Nocte, dieque suum gestare in pectore testem.
Spartano cuidam respondit Pythia vates
Haud impunitum quondam fore, quòd dubitaret 200
Depositum retinere, & fraudem iure tueri
Iurando: quærebat enim quæ Numinis esset
Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergo metu, non moribus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, verámque probauit: 205
Extinctus tota pariter cum prole, domóque,
Et quamuis longa deductis gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
NAM *scelus intra se tacitum qui cogitat vllum,*
Facti crimen habet: cedo, si conata peregit? 210
Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat,

Faucibus vt morbo ſiccis, interque molareis
Diffili creſcente cibo. ſed vina miſellus
Expuit : Albani veteris pretioſa ſenectus
215 *Diſplicet. oſtendas melius, denſiſſima ruga*
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte breuem ſi fortè indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata toro iam membra quieſcunt:
Continuò templum, & violati Numinis aras,
220 *Et quod præcipuis mentem ſudoribus vrget,*
Te videt in ſomnis. tua ſacra, & maior imago
Humana turbat pauidum, cogitque fateri.
Hi ſunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent:
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cæli:
225 *Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed*
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, cura grauiore timetur
Proxima tempeſtas: velut hoc dilata ſereno.
Præterea, lateris vigili cum febre dolorem
230 *Si cœpere pati, miſſum ad ſua corpora morbum*
Infeſto credunt à Numine. ſaxa Deorum
Hæc, & tela putant. pecudem ſpondere ſacello.
Balantem, & Laribus criſtam promittere Galli.
Non audent. QVID *enim ſperare nocentibus ægris*
235 *Conceſſum? vel quæ non dignior hoſtia vita?*
MOBILIS, *& varia eſt ferme natura malorum.*
Cùm ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: quid fas,
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus. TAMEN *ad mores natura recurrit*
240 *Damnatos fixa, & mutari neſcia.* NAM *quis*
Peccandi finem poſuit ſibi? quando recepit
Eiectum ſemel attrita de fronte ruborem?
Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris vno
Flagitio? dabit in laqueum veſtigia noſter
245 *Perfidus, & nigri patietur carceris vncum,*
Aut maris Ægæi rupem, ſcopulóſque frequenteis,
Exſulibus magnis. pœnâ gaudebis amara
Nominis inuiſi, tandemque fatebere lætus
Nec ſurdum, nec Teireſiam quemquam eſſe Deorum.

IN SATYRAM XIII.

VICERIT VRNAM.]Iudicium Prætoris,sortes in vrnam coniectæ, in damnatos ducebantur. Virg.

Quæsitor Minos vrnam mouet.

Horatius, *omne capax mouet Vrna nomen.*

CALVINE.]Poëta humilis fuit Caluinus, ad quem scribit Iuuenalis, de quo Mart. lib.6.

Æquales scribit libros Caluinus, & Vmber,

Æqualis liber est,criticе,qui malus est.

Fuit & alter Caluinus nostris temporibus,humilis quidem scriptor, sed insignis fidei Christianæ præuaricator, qui vt sectam astrueret, destruebat decreta seniorum Patrum,imitatus Cupidinem, qui vt Æneas diligeretur à Didone,Sichęi primi mariti Didonis memoriam abolere conabatur. Virg.Æneid.1.

—at memor ille

Matris Acidaliæ paulatim abolere Sichæum

Incipit,& viuo tentat præuertere amore.

SPVMANTIBVS ARDENS.]Flagrantibus,iratis.

FONTEIO CONSVLE.]Fontei meminit Plin. lib. 7. cap. 21. nuper Fonteio,& Vipsano Consulibus annos nouem genitum puerum à meridie ad vesperum 75.millia passuum cucurrisse. Huius meminit Solinus cap. 3. Id est senex natus Fonteio Consule, quo tempore fœlices nascebantur, quia virtus vigebat.

NEC IACTARE IVGVM.]Qui non reluctatur contra necessitatem,longa vita,quæ est magistra.

GLADIO, VEL PYXIDE.]Veneno,vel gladio.

QVOT THEBARVM PORTÆ.]Septem fuere sapientes Græciæ,Thales, Solon,Periander,Cleobulus,Chilon, Bias, & Pittacus, & septem portas habuere Thebæ. Iuuenalis Saty. xv. ait Thebas habuisse centum portas.

Atque vetus Thebæ centum iacet obruta portis.

Sed ex illis centum septem præcipuæ erant,de quibus hîc Iuuenalis loquitur,& Ouid.lib.2.Tristium,

Cur tacui Thebas,& mutua vulnera fratrum,

Et septem portas,sub duce quamque suo.

DIVITIS OSTIA NILI.]Septem scilicet.Ammianus lib.22.in Iuliano loquens de Nilo, exinde leuius means per ostia septem, quorum singula perpetuorum amnium vsum,& faciem præbent. Claudianus,

— & nectare dulcior aura,

Ostia nigrantis Nili septena vaporat.

ET A NVLLO P. N. METALLO.] Quemadmodum priora tempora habuerunt nomina,scilicet aurea,argentea,ænea,& ferrea.

Nos hominum divumque fidem.] Cum ſcelerato ſeculo, nos hunc errorem patimur, vt hominum ac Deorum fidem imploremus.

Ciere.] Mouere, excitare.

Quanto fessidium.] Vt oſtendat Feſſidium conductos tunc habuiſſe, qui eum agentem cauſa, magna voce laudarent.

Dic senior bulla dignissime.] Ironicè, quaſi iterum puer, quamuis ætate ſis ſenex, videris tamen dignus bulla, id eſt puer.

Aræque rubenti.] Sanguinolentæ, vel exigui.

Saturnus fugiens.] Ætate aurea.

Idæis.] Ida mons Phrygiæ.

Puer iliacus.] Ganymedes ab Ioue raptus ad menſæ miniſterium.

Herculis uxor.] Hebem dicit Iunonis & Iouis filiam.

Liparæa nigra taberna.] Brachia fuliginoſa in officina Liparæ inſulæ fulminum plenæ, quæ eſt vna ex Æolis; hæ inſulæ, vt Ætna, ardent. Claud.

Turbatur Liparis ſtupuit fornace relicta
Mulciber.

Vrgebant Atlanta minori.] Vrgebant regem Mauritaniæ minori onere, quia non erant tot numina, quot hodie, ideo vrgét maiori pondere. Atlanta dicunt cœlum ſuſtinere. Virgil.

Axem humero torquet, ſtellis ardentibus aptum.

Ouidius in epiſt. Deianiræ, *Hercule ſuppoſito, ſidere fulſit Atlas,*

Nondum sortitus.] Id eſt cum adhuc, nec Iupiter regnum cœleſte teneret, nec Neptunus mare, nec Pluton inferna, cum Proſerpina coniuge Cereris filia, quam in Ætna monte Siciliæ rapuit.

Nec rota.] Rota in qua Ixion dicitur volui. Seneca.

Rapitur volucri tortus Ixion rota
Aut pœna Titij, ſemper accreſcens iecur.
Viſceribus atras paſcet effoßis aues.

Saxum.] Quod Siſyphus voluit. Siſyphus Æoli filius apud inferos ſaxum ingens in montis cuiuſdam verticem cogitur peruoluere, quod cum ad ſummum pene extulerit repente deorſum relabitur.

Vulturis.] Qui iecur Titij comedit, Titius Gigas filius Iouis, Latonam matrem Apollinis de ſtupro interpellauit, iratus Apollo ſagittis confodit, & apud inferos relegauit, eius iecur vulturibus laniandum appoſuit hac lege, vt conſumptum renaſceretur illico, & vultures nunquam ceſſarent. Horatius.

Nec Titij iecur additus,
Relinquit ales nequitiæ cuſtos.

Mirari ſatis non poſſum, inquit Pulmanus, cur in illa Saturniæ ætatis deſcriptione, Satyra 13. etiam Critici tamdiu farra tulerint.

Glandis acervos.] Homines ætate aurea arborum fœtibus veſcebantur. Tibullus.

—his vita magiſtris
Deſueuit querna pellere glande famem.

Plura farra.] Farra nominauit, quia antiqui vt Verrius tradidit

trecentis annis farre vixerunt, lege Farra, & non Fraga, vt Probus, quia Fragorum aceruus custodiri non potest.

MORTE PIANDVM.] Morte purgandum.

CVM TOTA ERVGINE FOLLEM.] Erugo est ferri rubigo, hîc æris vitium significat.

FOLLEM.] Sacculum. Cuiacius tractatu IX. ad Affricanum: Follis proprie est instrumentum, quo attrahitur, & emittitur ventus.

PRODIGIOSA FIDES.] Prodigio similis.

TVSCIS DIGNA LIBELLIS.] Libellis Tuscorum haruspicum, qui in summo honore habebantur, & maxima diligentia asseruabantur.

VEL THVSCIS.] Quæ ex disciplina Hetrusca expietur. nam Aruspicina inuenta est in Hetruria. Claudianus.

Fulmineas solers Hetruria consulat ignes,
Immensumque nefas fibris exploret aruspex.

CVLMINE TEMPLI.] Si concedisset examen apum in culmine templi, in speciem vuæ dependentis, indicium erat futuræ pacis. Columella, deinde cum examen glomeratum in proximo frondentis arubusculæ ramo concedit, animaduertito, an totum examen in speciem vnius vuæ dependeat.

LVSTRARI.] Purgari.

PER SOLIS RADIOS.] Persæ iurant per Solem, quem adorant.

TARPEIAQVE FVLMINA.] Capitolini, Iouis Iupiter colebatur in rupe Tarpeia, in qua erat Capitolium.

ET MARTIS FLAMEAM.] Gladium Martis. Tacitus de populis Germaniæ, hastas, vel ipsorum vocabulo frameas gerant.

CYRRHEI SPICVLA VATIS.] Apollinis sagittas, qui in Cyrrha Delphis vicino oppido colebatur.

VENATRICIS PVELLÆ.] Dianæ.

CALAMOS.] Sagittas. Virg.

— quum Daphnidis arcum,
Fregisti & calamos.

ÆGEI NEPTVNE TRIDENTEM.] Ægeus fuit Athenarum rex Thesei pater, Neptuni filius: Claudianus. *Trefida Neptunus cuspide montes Impulit aduersos.*

TRIDENTEM.] Fuscinam.

HASTAMQVE MINERVÆ.] Palladis.

ARMAMENTARIA COELI.] Loca in quibus arma posita sunt. Tacitus hist. lib. I. aperire deinde armamentarium iussit (Otho scilicet) rapta statim arma sine mora & ordine militiæ, vt Prætorianus, aut legionarius insignibus suis distingueretur, *si pater est*, ita iurat, Comedam.

AGNATI SINCIPVT ELIXI.] Priorem partem Capitis filij bulliti, cocti aqua.

PHARIOQVE.] Ægyptio, forti, idem habeat pharium cum frigide Nilum. Pharus est Insula, cum turri eiusdem nominis Alexandriæ opposita. Strabo. Hora.

Vrit me Glyceræ nitor,
Splendentis Pario marmore.

Isis.] Præsenti numine ferire putabatur periuros. Isis Dea Ægyptiorum.

Irato sistro.] Irata, mihi oculos sistro eruat, quæ tuba Ægyptia est, vel instrumentum musicum, vt ait Britannicus. Ouidius in Ponto 28.

Et quis ita est audax vt limine cogat al ire
lactantem pharia in tinnula sistra manu.

Phthisis.] Corruptio, & tabes lenta, Hippocrates.

Vomice pvtres.] Vlcera sic dicta putrida, Galenus.

Nec dvbitet ladas.] Ladas fuit inter nobilissimos cursores Olympico certamine, melius est cum vno pede currere, quam pauperem viuere, & si hoc scis in cursu quod Ladas. Pulmanus de Lada. Pausanias in Corinth. & Solinus cap. 3. Mart. lib. 10. in commiscentem versus operi suo.

Habeat licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte frustra crure ligneo curres.

Liber Collegij Cath. Laudas & male.

Anticyra.] Persius,

— Anticyras melior sorbere meracas.

Anticyra sita est in Locride læua parte sinum Corinthiacum intrantibus, Liuius.

Anticyra.] Purgatione per elleborum, Isid. Elleborum insignem vim purgandi habet motam mentem in sanitatem reducit, memorant Græci circa Elleborum quemdam fluuium plurimum gigni, atque inde à Græcis appellari.

Archigene.] Medico.

Piseæ olivæ.] Pisa Achaiæ oppidum fuit. vt sit victor in ludis Olympicis, & esuriat: vbi victores oleastro coronabantur. Plinius Pisa, & Olis ciuitates sunt Peloponnesi, inter quas campus iacet vastissimus, qui Olympia nominatur, vbi ludi celebrabantur.

Catvlli.] Mimum scurram vocat, & vrbanum mimographum ipsum Catullum. Scaliger in Catullum.

Vt stentora.] Virum illum qui secundùm Homerum, tantum vocis imittere solebat, quantum quinquaginta viri. Homerus in 5. Ilia.

Qvantvm gradivvs Homericvs.] Mars cùm vulneratus est à Diomede, tam ingenti voce exclamauit, quantum nouem, decemve milia virorum, ita vt Græci, & Troiani territi sint.

Vel marmorevs, vel ænevs.] Cuius statua, vel marmorea, vel ænea sit. Horatius,

Lætus vt in circo spatiere, aut æneus vt stes.

Omenta.] Omentum medio à ventre pendet, pinguis membrana est, quæ continet intestinorum maiorem partem. Persius.

Tot tibi quum in flammis iunicum omenta liquescant.

Batylli.] Musici pueri Samij. Apuleius 2. Floridorum.

Cynicos, nec stoica dogmata.] Cynicos Philosophos, dogmata Stoica à Cynicis distantia sola tunica. Stoici suis professoribus simplex pallium concesserunt. Cynici duplex, vtrique rigidi virtutis sectatores erant. Horatius,

Contra

Contra quem duplici panno patientia velat,
Mirabor.

EXIGVI LÆTVM PLANTARIBVS HORTI.] Qui in hortis de otio & voluptate disputat. Papinius,

Delitia quas ipse suis digressus Athenis
Mallet deserto senior Gargeticus horto.

Id est Epicurus, sensus ex sententia Epicuri, plantaria quæ ex seminibus nata, cum radicibus, & terra propria transferantur. Virg. 2. Georg.

— & viua sua plantaria terra.

PHILIPPI.] Qui imperitus erat medicus.

CHIROGRAPHA.] Schædæ propria manu conscriptæ, quibus nos creditori obligamus, dicuntque debitores vana.

ADORANDÆ RVBIGINIS.] Antiquitatis merito adorandæ.

BRACTEOLAM.] Tenuem auri laminam. Virg. 6. Æneid.

Talis erat species auri frondentis opaca,
Ilice sic leui crepitabat bractea vento.

NATI INFOELICIBVS OVIS.] Plinius lib. x. cap. XII. Inter inauspicatas aues coruum recenset, cuius ouum per os reddere existimatur. Ideo infœlicia oua appellantur, alludit enim ad prouerbium, Mali corui, malum ouum.

ET DEDVCENDVM.] Parricidam, quem per supplicij genus describit Cicero pro Roscio. Culeus autem quo parricidæ claudebantur bubulo corio fieri solebat, cum simia, vipera, gallus gallinaceus, & canis includebantur.

CONFLARE TONANTEM.] Imaginem Iouis non dubitet conflare.

QVÆ CVSTOS GALLICVS.] Rutilius Gallicus sub Domitiano præfectus vrbi. Præfectus vrbi est magistratus, cui vrbis terminorumque eius curam Princeps commisit. officium eius præcipuum est vrbem custodire, omnia crimina audire. Seneca cap. 12. epist. 50. Piso vrbis custos, cuius officio tutela vrbis continetur.

TVMIDVM GVTTVR MIRATVR IN ALPIBVS.] Nam plurimi lata & inflata colla ibi habent vitio aquarum, quæ potantur. Plinius lib. 9.

IN MEROE CRASSO.] In Meroe insula Æthiopica, ibi autem fœminæ mamillas habent maiores infantibus, vt testatur Pomponius Mela & Herodotus.

CÆRVLA GERMANI LVMINA.] Horatius,

Nec fera cerulea domuit Germania pube.

Cærula cum viridi nigra, qualis est marinus color, flauus color ex viridi, & ruffo, & albo concretus est, Germani habent oculos glaucos, & capillos flauos.

MADIDO CIRRO.] Capillo crispo.

MADIDO.] Vnguento, Persius.

Ten' tur cirratorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendas.

Tacitus de moribus, & populis Germaniæ insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere, in posteriorem verticem obliquabant crinem, quod hîc ait Iuuenalis, Mart.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

THRACVM VOLVCRES.] Grues intelligit.

PYGMÆVS PARVIS.] Aut quis debet mirari Pygmæos cũ gruibus pugnantes, quorum hoc est studium semper. Pygmæi authore Plinio lib.7. in extrema parte montium Indiæ sunt, longitudine ternas spitarnas non excedunt, à quibus infestantur, aduersus quas expeditiones sumentes, caprarum arietumque dorsis insident, armati sagittis, tempore veris ad mare descendunt, oua, pullosque earum consumunt, aliter gregibus futuris resistere non possunt.

RISV QVATIERE.] Rideres, quati, moueri cum violentia est proprie.

CORPORE TRVNCO.] Necabitur, & id erit solatium tibi.

SOSPES.] Salua, integra tibi restituta deposita pecunia.

CHRYSIPPVS NON DICET IDEM.] Non hoc præcipiet Philosophus, vt rependantur malis vices.

MITE THALETIS.] Thales qui Deo gratias agebat, quòd Græcus non barbarus natus esset.

SENEX VICINVS HYMETTO.] Socrates vicinus Hymetto monti Atticæ regionis, vbi optimum prouenit mel. Flaccus, & *in dulcem reges dimutit hymettum.*

VENENA CICVTÆ ACCVSATORI NOLLET DARE.] Ait Plinius cicutam, venenum esse, publicam Atheniensium pœnam, inuisam, est enim herba semen habens noxium: ei & folius refrigeratoria vis est, vino epota hominem perimit sine vllo remedio.

QVAS ET CÆDICIVS.] Cædicium aulicum Neronis crudelissimũ quidam intelligi volunt, sed Cædicius iudex erat grauissimus, vt Radamanthus, idque verum esse apparet ex Satyra 16. in qua Cædicij iudicis fit mentio.

SPARTANO.] Glauco Lacedæmonio, de quo Herodotus lib.6. dubitauit Glaucus Lacedæmonius, an depositum cuiusdam Milesij filio redderet, sed Pythia respondit idem tentare mentem Deorum ac facere, cui nulla soboles, nec domus superfuit.

AGRI FALERNO.] Aceto Falerno.

ALBANI.] Vini.

TVA SACRA, ET MAIOR IMAGO.] Imago sacra, & maior humana turbat pauidum. nam existimat se videre imaginem amici circumuentu sacra quadam & venerabili, & maiore humana effigie. Vnde Tranquillus in Claudio sic scribit de Druso eius patre, hostem etiam frequenrem cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris humana amplior victorem tendere vltra sermone Latino prohibuisset.

PECVDEM SPONDERE SACELLO.] Sacrificia promittere pro sanitate recuperanda non audet, tanquam reus. Sacellum à sacro, significat paruum locum Deo consecratum, vt Trebatius ait, quasi sacra cella.

CRISTAM GALLI.] Ex gallis fibræ sunt quæ non aliter quàm opimæ victimæ Diis sunt gratæ.

QVE NON DIGNIOR HOSTIA VITA.] Magis hostia, quam ipse viuere meruit.

CARCERIS VNCVM.] Vnco enim ferreo trahebantur à populo, qui merebantur sic puniri. Sueton.

EXVLIBVS MAGNIS.] Patietur exilium, in insulam relegabitur, Ægeum mare dictum est ab Ægeo Neptuni filio, qui se in mare præcipitauit. Plinius à specie capræ dictum putat.

TIRESIAM.] Cæcum vti erat Tiresias Thebanus à Iunone excæcatus, eo quod contra eam iudicasset, dicens libidinem maiorem esse in muliere, quàm in viro. Ouid. lib. 3. Metamorph. Mancinellus, & Ascensius, vel cum Minerua se lauans in fonte Heliconidis conspecta fuisset à Tiresia. Illum cæcum fecit quod eam nudam vidisset, Natalis Comes. hinc Propertius,

Nudam Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lauat.

Id est, dicturus es, & potentes, & exorabiles esse Deos.

SATYRA XIIII.

Ad Fuscinum: in parentes, qui liberos suos sceleratis moribus corrumpunt, quos optimis exemplis debebant formare, & prouocare ad meliora.

PLurima sunt, Fuscine, & famâ digna sinistrâ,
Et quod maiorum vitio, sequitúrque minores,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, tradúntque parentes.
Si damnosa senem iuuat alea, ludit & heres 5
Bullatus, paruóque eadem mouet arma fritillo.
Nec de se meliùs cuiquam sperare propinquo
Concedit iuuenis: qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem iure natanteis
Mergere ficedulas didicit nebulone parente. 10
Et canâ monstrante gulâ. cùm septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoneas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto cenare paratu
Semper, & à magnâ non degenerare culinâ. 15
Mitem animum, & mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atque animos seruorum, & corpora, nostrâ
Materiâ constare putat, paribúsque elementis:
An sæuire docet Rutilus? qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, & nullam Seirena flagellis 20

Comparat, Antiphates trepidi Laris, ac Polyphemus?
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro.
Quid suadet iuueni lætus stridore catenæ,
25 *Quem mirè afficiunt inscripta ergastula, carcer*
Rusticus? expectas, vt non sit adultera Largæ
Filia: quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam citò, nec tanto poterit contexere cursu,
Vt non ter decies respiret? conscia matri
30 *Virgo fuit: ceras nunc hac dictante pusillas*
Implet, & ad mœchum dat cisdem ferre cinædis.
Sic natura iubet: velociùs, & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeant animos auctoribus, vnus, & alter
35 *Forsitan hæc spernant iuuenes, quibus arte benignâ,*
Et meliore luto finxit præcordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnis huiusce: etenim vel
40 *Vna potens ratio est, ne crimina nostra sequantur*
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus, ac prauis omnes sumus, & Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus vsquam.
45 *NIL dictu fœdum, visûque hæc limina tangat,*
Intra quæ puer est: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
MAXIMA debetur puero reuerentia. si quid
Turpe paras, nec tu pueri contemseris annos:
50 *Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.*
Nam si quid dignum Censoris fecerit irâ,
Quandoquidem similem tibi se non corpore tantum,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & cùm
Omnia deteriùs tua per vestigia peccet,
55 *Corripies nimirum, & castigabis acerbo*
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis.
Vnde tibi frontem, libertatémque parentis,
Cùm facias peiora senex, vacuúmque cerebro
Iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?

Hospite venturo, cessabit nemo tuorum: 60
Verre pauimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela,
Hic lauet argentum, vasa aspera tergeat alter,
Vox domini fremit instantis, virgámque tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino 65
Atria displiceant oculis venientis amici,
Ne perfusa luto sit porticus, & tamen vno
Semodio scobis hæc emendat seruulus vnus:
Illud non agitas, vt sanctam filius omni
Adspiciat sine labe domum, vitióque carentem? 70
Gratum est, quòd patriæ ciuem, populóque dedisti,
Si facis, vt patriæ sit idoneus, vtilis agris,
Vtilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas. serpente ciconia pullos 75
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta:
Illi eadem sumtis quærunt animalia pennis.
Vultur iumento, & canibus, crucibúsque relictis,
Ad fœtus properat, partémque cadaueris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, & se 80
Pascentis, propria cùm iam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream famulæ Iouis, & generosæ
In saltu venantur aues: tunc præda cubili
Ponitur: inde autem, cùm se matura leuabit
Progenies stimulante fame, festinat ad illam, 85
Quàm primùm rupto prædam gustauerit ouo.
Ædificator erat Centronius, & modo curuo
Littore Caietæ summa nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longéque petitis 90
Marmoribus, vincens Fortunæ, atque Herculis ædem:
Vt spado vincebat Capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Centronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parua tamen mensura relictæ
Partis erat: totam hanc turbauit filius amens, 95
Dum meliore nouas attollit marmore villas.
Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cæli Numen adorant.

Nec distare putant humana carne suillam,
100 *Qua pater abstinuit, mox & præputia ponunt.*
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt, & seruant, ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti:
105 *Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.*
Sed pater in caussa: cui septima quæque fuit lux
Ignaua, & partem vitæ non attigit vllam.
Sponte tamen iuuenes imitantur cetera: solam
Inuiti quoque auaritiam exercere iubentur.
110 FALLIT *enim vitium specie virtutis, & vmbra,*
Cùm sit triste habitu, vultúque, & veste seuerum.
Nec dubiè tanquam frugi laudatur auarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela suarum
Certa magis, quàm si fortunas seruet easdem
115 *Hesperidum serpens, aut Ponticus. adde quod hunc, de*
Quo loquor, egregium populus putat, atque verendum
Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocunque modo, maioráque fiunt
Incude aßidua, sempérque ardente camino,
120 *Et pater ergo animi felicis credit auaros,*
Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putant: iuuenes hortatur vt illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere sectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos
125 *Imbuit, & cogit minimas ediscere sordes:*
Mox acquirendi docet insatiabile votum.
Seruorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet vnquam
Mucida cærulei panis consumere frusta,
130 *Hesternum solitus medio seruare minutal.*
Septembri, nec non differre in tempora cænæ
Alterius concham æstiui cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putríque siluro,
Filáque sectiui numerata includere porri.
135 *Inuitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.*
Sed quò diuitias hæc per tormenta coactas,
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,

Vt locuples moriaris, egentis viuere fato?
Intereà pleno cùm turget sacculus ore,
CRESSIT *amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,* 140
Et minùs hanc optat, qui non habet, ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non sufficit vnum,
Et proferre libet fineis, maiórque videtur,
Et melior vicina seges. mercaris & hanc, &
Arbusta, & densâ montem qui canet oliuâ. 145
Quorum si pretio dominus non vincitur vllo,
Nocte boues macri, lassóque famelica collo
Armenta ad virideis huius mittuntur aristas.
Nec priùs inde domum, quàm tota noualia saeuos
In ventres abeant, vt credas falcibus actum. 150
Dicere vix possis, quàm multi talia plorent,
Et quot venaleis iniuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quae fœdae buccina famae?
Quid nocet hoc, inquit. tunicam mihi malo lupini,
Quam si me toto laudet vicinia pago 155
Exigui ruris paucissima farra secantem.
Scilicet & morbis, & debilitate carebis,
Et luctum, & curam effugies, & tempora vitae
Longa tibi post haec fato meliore dabuntur:
Si tantum culti solus possederis agri, 160
Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis aetate, ac Punica passis
Praelia, vel Pyrrhum immanem, gladiósque Molossos,
Tandem pro multis vix iugera bina dabantur
Vulneribus. merces ea sanguinis, atque laboris. 165
Nullis visa vnquam meritis minor, aut ingratae
Curta fides patriae. saturabat glebula talis
Patrem ipsum, turbámque casae: qua feta iacebat
Vxor, & infantes ludebant quatuor, vnus
Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum 170
A scrobe, vel sulco redeuntibus, altera cena
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollae.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
Inde ferè scelerum caussae, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur saepius vllum
Humanae mentis vitium, quàm saeua cupido 175

Immodici census. nam diues qui fieri vult,
Et citò vult fieri. SED *quæ reuerentia legum,*
Qui metus aut pudor est vnquam properantis auari?
180 *Viuite contenti casulis, & collibus istis*
O pueri, Marsus dicebat, & Hernicus olim,
Vestinúsque senex: panem quæramus aratro,
Qui satis est mensis: laudant hoc Numina ruris,
Quorum ope, & auxilio, gratæ post munus aristæ,
185 *Contingunt homines veteris fastidia quercus.*
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi, qui summouet Euros
Pellibus inuersis peregrina, ignotáque nobis
Ad scelus, atque nefas quodcunque est, purpura ducit,
190 *Hæc illi veteres præcepta minoribus: at nunc*
Post finem autumni media de nocte supinum
Clamosus iuuenem pater excitat. accipe ceras,
Scribe puer, vigila, caussas age, perlege rubras
Maiorum leges, aut vitem posce libello.
195 *Sed caput intactum buxo, naréisque pilosas*
Annotet, & grandeis miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Vt locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat. aut longos castrorum ferre labores
200 *Si piget, & trepido soluunt tibi cornua ventrem*
Cum lituis audita, pares, quod vendere poßis
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Vllius subeant ablegandæ Tiberim vltra,
Nec credas ponendum aliquid discriminis inter
205 *Vnguenta, & corium.* LVCRI *bonus est odor ex re*
Qualibet: illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Dijs, atque ipso Ioue digna poëtæ.
VNDE *habeas quærit nemo, sed oportet habere.*
Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem:
210 *Hoc discunt omnes ante alpha, & beta puellæ.*
Talibus instantem monitis quemcumque parentem
Sic poßum affari. dic ô vanißime, quis te
Festinare iubet? meliorem præsto magistro
Discipulum. securus abi: vinceris, vt Aiax
215 *Præterit Telamonem, vt Pelea vicit Achilles.*

Parcendum

Parcendum est teneris:nondum impleuere medullas
Natiuæ mala nequitiæ:cùm pectere barbam
Cæperit,& longi mucronem admittere cultri, 230
Falsus erit testis, vendet periuria summa
Exigua, Cereris tangens arámque,pedémque.
Elatam iam crede nurum,si limina vestra
Mortifera cum dote subit. quibus illa premetur
Per somnum digitis! nam quæ terráque,maríque 235
Acquirenda putes,breuior via conferet illi.
NVLLVS *enim magni sceleris labor,hac ego nunquam*
Mandaui,dices olim,nec talia suasi:
Mentis caussa malæ tamen est,& origo penes te.
Nam quisquis magni census præcepit amorem, 240
Et læuo monitu pueros producis auaros,
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculo : quem si reuoces,subsistere nescit,
Et te contemto rapitur,metisque relictis. 245
Nemo satis credit tantum delinquere,quantum
Permittas:adeò indulgent sibi latiùs ipsi.
Cùm dicis iuueni,stultum,qui donet amico,
Qui paupertatem leuet,attollátque propinqui:
Et spoliare doces, & circumscribere, & omni 250
Crimine diuitias acquirere,quarum amor in te est.
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore! quantum
Dilexit Thebas,si Græcia vera,Menæceus:
In quarum sulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis nascuntur,& horrida bella capessunt 255
Continuò,tanquam & tubicen surrexerit vna?
Ergo ignem,cuius scintillas ipse dedisti,
Flagrantem latè,& rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero, trepidúmque magistrum
In cauea magno fremitu leo tollet alumnus. 260
Nota Mathematicis genesis tua: sed graue tardas
Exspectare colos.morieris stamine nondum
Abrupto. iam nunc obstas,& vota moraris:
Iam torquet iuuenem longa,& ceruina senectus.
Ocyus Archigenem quære,atque eme quod Mithridates 265
Composuit,si vis aliam decerpere ficum,

Atque alias tractare rosas. medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat aut pater, aut Rex.
Monstro voluptatem egregiam: cui nulla theatra,
270 *Nulla aequare queas Praetoris pulpita lauti,*
Si spectes quanto capitis discrimine constant
Incrementa domus, aerata multus in arca
Fiscus, & ad vigilem ponendi Castora nummi,
Ex quo Mars vltor galeam quoque perdidit, & res
275 *Non potuit seruare suas. ergo omnia Florae,*
Et Cereris licet, & Cybeles aulaea relinquas.
Tanto maiores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique solent rectum descendere funem,
280 *Quàm tu, Corycia semper qui puppe moraris,*
Atque habitas, Coro semper tollendus, & Austro,
Perditus, ac vilis sacci mercator olentis:
Qui gaudes pingui antiquae de littore Cretae
Passum, & municipes Iouis aduexisse lagenas?
285 *Hic tamen ancipiti figens vestigia plantâ*
Victum illa mercede parat, brumámque, famémque
Illa reste cauet: tu propter mille talenta,
Et centum villas temerarius. adspice portus,
Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum est iam
290 *In pelago. veniet classis quocumque vocarit*
Spes lucri, nec Carpathium, Getúlaque tantùm
Aequora transiliet: sed longè Calpe relicta,
Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.
Grande operaepretium est, vt tenso folle reuerti
295 *Inde domum possis, tumidáque superbus aluta*
Oceani monstra, & iuuenes vidisse marinos
Non vnus mentes agitat furor: ille sororis
In manibus vultu Eumenidum terretur, & igni:
Hic boue percusso mugire Agamemnona credit,
300 *Aut Ithacum, parcat tunicis licet, atque lacernis,*
Curatoris eget, qui nauem mercibus implet
Ad summum latus, & tabula distinguitur vna,
Cùm sit caussa mali tanti, & discriminis huius
Concisum argentum in titulos, faciésque minutas.
305 *Occurrunt nubes, & fulgura: soluite funem,*

Frumenti dominus clamat, piperísque coëmtor.
Nil color hic cæli, nil fascia nigra minatur:
Æstiuum tonat infelix, ac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctúque premetur,
Obrutus, & Zonam læua, morsúque tenebit. 310
Sed cuius votis modo non suffecerat aurum,
Quod Tagus, & rutila voluit Pactolus arena,
Frigida sufficient velantes inguina panni,
Exiguúsque cibus, mersa rate naufragus assem
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.
Tantis parta malis, cura maiore, metúque 315
Seruantur. MISERA *est magni custodia census.*
Dispositis prædiues hamis vigilare cohortem
Seruorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
Electro, signísque suis, Phrygiáque columna,
Atque ebore, & lata testudine. dolia nudi 320
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus atque eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testa cùm vidit in illa
Magnum habitatorem, quantò felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem, 325
Passurus gestis æquanda pericula rebus.
Nullum Numen habes, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam. mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam,
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt, 330
Quantum, Epicure, tibi paruis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt antè Penates.
Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te claudere misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam 335
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque si rugam trahit, extendítque labellum,
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum impleui gremium, si panditur vltrà:
Nec Crœsi fortuna vnquam, nec Persica regna 340
Sufficient animo, nec diuitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperiis vxorem occidere iussus.

IN SATYRAM XIV.

FVSCINE.] Ad Fuſcinum ſcribit hanc Satyram Iuuenalis.

BVLLATVS PARVVLVS.] Prætextatus. Nam pueri vſque ad decimum quartum annum prætextam,& bullam geſtabant.

FRITILLO.] Fritillus pyxis cornea,& turricula,qua tali miſcentur, & iaciuntur. Mart.lib. 4. ad Silum,

Dum blanda vagus alea december,
Incertis ſonat,hinc & hinc fritillis.

Num pueri vas in terram figebant,& in illud nuces iacebant. Mart.

Nec timet ædilem moto ſpectare fritillo.

Turnebus ait fuiſſe vas oblongum, in quod mittebantur teſſeræ & tali.

TVBERA.] Tumentis terræ calli, & prægnantis arenæ fœtus fungi. Athenæus..

FICEDVLAS.] A ficu, aues quæ ficuum vſu pingueſcunt. Plinius lib. 10. cap. 29. & Alexander Myndius in ſua de auibus hiſtor. Mart.

— patulo ficedula lumbo,
Cum tibi ſorte datur,

NEBVLONE.] Nequã,perdito, à patre didicit luxurioſus & guloſus eſſe.

NATANTES.] Iure conditas.

RENATO DENTE.] Septimo anno dentes renaſcuntur.

ÆSTIVVM.] Vt per æſtatem ſolet.

ET NVLLVM SIRENA FLAGELLIS.] Dulciorem eſſe flagellorum ſtrepitum quàm Sirenum cantus, Antiphates, & Polyphemus. id eſt Carnifex potiùs domus ſuæ, quam dominus. Leſtrygonum Rex Antiphates, & Polyphemus Cyclops homines comedebant. Homerus,& Thucidides.

INSCRIPTA ERGASTVLA.] Quanquam ibi includuntur qui inſcripti ſunt,vel ipſi ſerui, qui notis compuncti ſunt.

MANCIPIA.] De ergaſtulis.

CERAS. PVSILLAS.] Pugillares ceratos.

FERRE CINÆDIS.] Immundis internunciis, & miniſtris. Cinædus ſumitur pro puero meritorio. Nonius. Mart.

Quanta ſcabie miſer laborat
Culum non habet,eſt tamen Cinædus.

PRÆCORDIA TITAN.] Prometheus filius Iapeti, Titani nepos formauit.

ORBITA.] Via facta rota, lata via. Metaphora.Plinius lib. 8.cap.36.iidem vbicumque ſint orbitam ſi tranſiere, moriuntur ſcilicet mures. Claudianus,

Flaneſcit Ariſtis orbita.

Inde exorbitâre apud Tertullianum, quod ſignificat extra orbitam ire.

ET CATILINAM. Improbum hominem vbique inuenies.

BRVTI NEC AVVNCVLVS. Bonus vt Cato Vticẽſis Philoſoph.& Brutus.

TABVLAS.] Teſtamenti.

Cvcvrbita ventosa.] Cucurbita phreneticis solet adhiberi occipiti inciso, si neque mens constat, neque somnus accedat author Cornelius Çelsus, est etiam vas quo medici vtuntur ad deducendum sanguinem. Athenæus lib. 10. & sanguis educendus est è capite, cum ea facias Propertius.

Caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & iunco brassica vincta leui.

Verre.] Virgis purga pauimentum. Verrere mundare est. Lucilius. ædes verrat, ac vapulet. Nonius.

Semodio scobis.]Dimidio immundicici. est autem scobs, id quod ab aliqua materia minutissimum decidit. Lampridius in Heliogabalo, scobe auri porticum strauit,& argenti. Et Trebellius Pollio in Galienis duobus crinibus suis auri scobem aspersit.

Semodivs.]Semimodius.

Famvlæ Iovis.] Aquilæ, quia fulmina Ioui ministrarunt pugnanti aduersus gigantes.

Centronivs.] Centronius fuit cupidus fabricæ.

Littore Caietæ.]In Campania est Caieta.

Vincens fortvnæ.]Et fortunæ apud Præneste ædem pulcherrimam ferunt fuisse,& Herculis ædem Tiburis dicit. Tybur est in mõte non longe à Roma, ædificia quæ construuntur à Centronio comparantur his ædibus.

Spado possides.]Hic possides spado libertus Claudij Imperatoris, qui eum in Brittãnico triumpho hasta donauit,&cohortibus præposuit. Suet. in Claudio, Libertorũ præcipue suspexit Posidem spadonem,quem etiam Brittannico Triumpho inter militares viros hasta pura donauit.

Qvidam sortiti.]Quidam Iudæi forte habentes patrem metuentem sabbata.

Coeli nvmen.]Lumen legit Iosephus Scaliger,cœli numen hoc est cœlum. Canterus & Auratus in ea sunt hæresi,vt lumen legendum censeant. cœli numen non est, Deum colunt,qui est in cœlo,sed venerantur nubes, & cœlum,tanquã numen. Behotius Apoph. lib.3.cap.16. Ego vero malo legere cum Iusto Lipsio Numen. Tacitus hist. lib. 5. Iudæi mente sola vnumque numen intelligunt.

Nec distare pvtant.]Non putant porcinam carnem differre ab humana, id est ab vtraque abstinent. hoc dixit Poëta, quia verum cœli numen, hoc est Deum verum ignorabat,eiusque præcepta,licet Iudæi à carne porcina abstinerent,sciebant tamen distare ab humana.

Præpvtia ponvnt.]Ponunt pelliculam priorem membri virilis,id est circumciduntur octauo die Genes.cap.17.

Moses.] Moyses Propheta, qui primus præcepta veri Dei tradidit hominibus. Sacra pagina.

Dedvcere verpos.]Vt ne viam erranti,nec aquam quærenti ministraret,quod est contra omnem humanitatem,nisi eadem sacra colenti.

Dedvcere verpos.]Iudæos qui sine pellicula sunt. Mart.

— me crucias Solymis quod natus in ipsis,

Pædicas puerum Verpe Poeta meum.

Cvi septima qvæqve]Qui Sabbatis nihil egit. Frontinus in Stratagematis. D. Augustus Vespasianus Iudæos, Saturni die, quo nefas eis est quicquam feriæ rei agere, adortus superauit, quia noluerunt arma attingere.

Hesperidvm serpens] Draco enim Hesperidum hortos custodisse dicitur, in quibus erant mala aurea, sed Hercules ea abstulit.

Avt ponticvs.]Apud Colchos in Ponto, vbi Æta pater Medeæ regnauit, in templo Martis pellis velleris aurei suspensa olim fuit à Phryxo, quam tauri ignem spirantes, vnà cum dracone dicuntur custodisse, eam Iason occiso opera Medeæ dracone sustulit.

Incvnde assidva.]Metaphora à fabris.

Modio castigat iniqvo.] Parua mensura.

Minvtal.] Vocatum quod fiat de piscibus, & Isiciis, oleribusque minutatim concisis. Isidor.

Concham.] Fabam coctam, quæ illi remansit in alium diem cum sardina seruat.

Cvm parte lacerti.]Caudam pro parte, quia erat in pretio, genus piscis salsi. Athenæus Mart.

Cum sexetani fertur tibi cauda lacerti.

Magius lib. 2. cap. 9. non caudam, sed vilissimam partem intelligit.

Silvrvs.]Piscis est etiam. Plinius.

Aliqvis de ponte.]Pauper mendicans in ponte, quia mendici in pontis itinere sedent.

Et densa monte qvi canet oliva.]Hyperbole, id est, integrum montem, in quo erat oliuetum comparas.

Qvem tota novalia.]Agros seminatos. Noualis, vt ait Festus, est ager nouæ relictus. Sementi. Segetes intelligit. Virg.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit.

Et qvos venales inivria.] Molestia vicini potentis.

Qvam foeda bvccina famæ.]Quã mala fama est auaris potentibus.

Tvnicam lvpini.]Malo tunicam plenam auro sicut siliqua lupini plena est grano, verba auari, iuxta illud Horatij.

—populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi.

Horatianus ille auarus pluris aurum quàm famam existimabat.

Qvantvm svb Tatio.]Tempore Tatij regis Sabinorum, qui Romulo iunctus est amicitia. populus Romanus pauper erat. Liuius.

Pvnica prælia.]Carthaginensia.

Vel Pyrrhvm.] Epirotarum Regem.

Gladios molossos.] Epiroticos, magnos. canis Molossus etiam est magnus canis. Horat. lib. 2. Satyr. 6.

—simul domus alta Molossis
Personuit canibus.

Glebvla.] Agellus, Gleba est cespes terræ, Glebula diminutiuum, pars pro toto sumitur.

VNVS VERNVLA, TRES DOMINI.] Tres habebant vnum seruum.

MARSVS, HERNICVS, ET VESTINVS SENEX.] Quiuis Paterfamilias ex illis Italiæ populis.

QVERCVS.] Glandis, qua vescebantur.

PERONE TEGI.] Virg.

— crudus tegit altera pero

Genus calceamenti contra niues, imbres & frigora, Perones, & culponiæ rustica calceamenta. Isid.

SVPINVM.] Dormientem.

PERLEGE RVBRAS.] Ergo primæ literæ legum Iurisconsultorum rubeo colore scriptæ fuere, non nigro. hinc Cicero ad rubricas se transfert. Perlegere est à principio ad finem vsque legere, hoc præcepto ostendit Iuuenalis, iuris studiosis, quãta opera requiratur in discendis legibus. Quintilianus lib. 1. docet quo modo legendi sint libri his verbis, ac diu non nisi optimus quisque, & qui credentem sibi minime fallat, legendus est: sed diligenter ac pene, ad scribendi sollicitudinem, nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber vtique, ex integro resumendus.

AVT VITEM POSCE LIBELLO.] Vt centurio fias, da libellos Principi, vitis centurionis munus, qui vitem gestat: Claudius nulli vitem, nisi robusto, & bonæ famæ dabat. Ælius Spartianus.

POST FINEM AVTVMNI.] Homines studiis dediti æstate breues illas, ac contractas noctes dormiunt, idem veteres factitabant, neque ante lucernam lucubrationem fere incipiebant, nisi sub finem Autumni.

SED CAPVT INTACTVM BVXO.] Sic age, vt te sordidum pueri mirentur, & virtutem tuam imitentur. Si vis Centurio militare. *buxo*, pectine. Buxus arbor est semper virens.

MIRETVR LÆLIVS ALAS.] Grandibus pilis, quia virile signum est, comes Lelius, sub quo militabis.

VT EVERTAS CASSAS MAVRORVM ATTEGIAS.] Alij Atteias, mapalia, tabernacula, tuguria, vmbracula, Rufinus in lib. 7. Iosephi de bello Iudaico. Cum ad festum inquit, diem venisset, quo Atteias in honorem Dei componi, ab hominibus mos est, Claudianus.

Agricolæ referant, iam tuta mapalia Mauri.

Ego inquit Domitius, potius intelligo hoc significare Mauritaniam ad extremã partem Libyæ, prima verior est, inquit Politianus c. 9. Miscella.

BRIGANTVM.] Brigantes Brittanniæ populi. Tacit. in vita Agricolæ.

VT LOCVPLETEM AQVILAM.] Vt signifer sis stipendiis emeritus, militiam opulentam.

PLVRIS DIMIDIO.] Plus media parte. vide l. rem minoris pretij, C. de rescindenda venditione.

TIBERIM VLTRA.] Transportandæ vltra Tiberim fluuium Italiæ, qui sulphuratã vendebant, eam partem habitabant. Mart. lib. 1. epig. 98. & *hoc quod transtyberinus ambulator, qui pallentia sulphurata fractis permutat vitreis*, hic locus tenebricosus vsque in hanc lucem fuit.

ANTE ALPHA, ET BETA.] Ante ætatem discendi.

VINCERIS VT AIAX PRÆTERIIT TELAMONEM.]Patrem,Ironia, vt Aiax & Achilles vicerunt parentes virtute,ita vitio auaritiæ filius tuus te superat.

PELEA.]Patrem.

BREVIOR VITA.]Homicidium.

DECIORVM.]Pater & filius,qui se pro rep. deuouerunt.

MENOECEVS.] Vir Thebanus,is cum cognouisset per Tiresiam vatem Thebas semper fore liberas, & nunquam posse capi, si illic occubuisset, vbi cubile Draconis erat,libens gladio incubuit, vt morte sua libertatem patriæ daret. Cicero Tusc. quæst. lib.1. circa finem Menœceus vero non non prætermittitur,qui oraculo edito largitus est patriæ suum sanguinem, & Papinius lib. 11. Theb. idem de eodem refert.

IN QVORVM SVLCIS.] Fabulosam illam Cadmi historiam tangit, vt Thebas patriam Menœcei designet. Cadmus enim Agenoris filius, quum post raptum Europæ sororis in Boeotia desedisset, ædificatisque Thebis quosdam ex sociis misisset, qui ad rem diuinam aquam afferrent, nec ij redirent, ipse profectus comperit eos à serpente iuxta fontem stabulante deuoratos,quem cum mirabundus spectaret, audiuit vocem fore,vt ipse quoque serpens spectaretur, quod postea accidit in extrema senectute. nam ipse vna cum vxore in serpentem conuersus est, occiso igitur eo serpente:eius dentes accepto oraculo seuit, ex quibus homines, armati orti sunt, qui omnes statim se mutuis vulneribus confoderunt, præter eos qui se Cadmo iunxerunt. Ouid. Metam.lib.3. Fulgentius, qui ad literarum inuentionem fabulam refert.

TREPIDVMQVE MAGISTRVM.]Alludit ad historiam sui temporis. Nam Leo mansuetus temporibus Domitiani in theatro magistrum, à quo fuerat educatus lacerauit. Mart.

Læserat ingrato Leo perfidus ore magistrum.

TARDAS COLOS.] Periodum Parcarum colo designatam.

CASTORA.]Ad templum Castoris,diuites olim in templis pecunias suas deponere soliti erant,quasi Diis committere, & credere se existimantes. Brodæus Miscell. lib. 4. cap. 17.

VIGILEM.] Tertullianus in Apologetico,Ædes suas Dij tuerentur & imagines,quæ vt opinor Cæsarum milites excubiis salua præstant. Ideo Iuuenalis Castora vigilem dixit.

MARS VLTOR GALEAM PERDIDIT.]Antea solebant arcas æratas facere, & ibi deponere pecuniam senatores, & sic in foro Martis collocare. verum per noctem à furibus expoliatæ sunt arcæ,& cæperunt ex eo in templo Castoris ponere.

ERGO OMNIA FLORÆ.]Ludos Theatrales,qui in honorem Dearum exhibentur, vide quæ scripsi in Persium de Ludis Floralibus.

ET CERERIS, ET CYBELES.]De ludis Cereris. Tacitus lib. 15. Ann. de Nerone loquens,Tandem inquit statuere Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur exequi destinata. Et paulo post, Vtque Circensiũ Cerealiũ ludicrum pluribus equitum cursibus celebraretur. Ludi Cereris,Cerealia dicti,quibus equorũ cursus in circo celebrabantur. Ouid. in 4. Fastorum.

Circus erit pompa celeber numeroque Deorum,
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hic Cereris ludi, non est opus indice causa.

Vide plura apud Politianum cap.85. Ludi Cybeles, Megalesiaci, de quibus in superioribus dixi.

PETAVRO.] Petaurum est ludus, quo ludi genere homines machina lignea per aëra iactabantur rotarum pulsu. Mart.

Quam rota transmissa toties impacta petauro.

Petaurum est ergo, id supra quod homines agilitate corporum insignes ludunt, vt hastæ, funes, supra quos ambulant. Petauristæ à veteribus dicebantur, qui saltibus, & schœnis leuioribus mouerentur. Nonius, Varro de vita populi Romani lib. 2. nec minus alio in genere sunt ludi velitis Galli, Germani Petauristæ. Mart. lib. 2. ad Classicum.

Quid si per graciles vias Petauri
Inuitum iubeas subire Ladam.

CORYCIA.] Corycus ciuitas Isauriæ.

CORYCIA.] Piratica, quales sunt Cilices.

DE LITTORE CRETÆ.] Apud Cretam regnauit Cres primus indigena. Creta dicta à Crete illo, quem aiunt vnum curetarum fuisse, à quibus Iupiter absconditus est, & nutritus, vt ait D. Hieronymus in Chronicis Eusebij.

MVNICIPES IOVIS.] Cretenses. sunt qui Thebis Boëtiæ natum esse Iouem autumant, quod sensit Licophron. alij in Creta Iouem natum, & educatum fuisse dixerunt, illud confirmauit. Virg. 4. Georg.

Dictæo cæli regem pauere sub antro.

Quod & Iuuenalis videtur hîc innuere. Mart. li. 4. de natali Domitiani.

Cæsaris alma dies, & luce sacratior illa,
Conscia Dictæum, qua tulit Ida Iouem.

TALENTA.] Mille talenta efficiunt sexcenta milia coronatorum.

PASSVM.] Hoc vinum ex Creta mittebatur, fit autem ex vuis sole passis, & arefactis, vnde nomen. Mart.

Gnosia Minoæ genuit vindemia Cretæ,
Hoc tibi quod mulsum pauperis esse solet.

ILLA RESTE CAVET.] Supra quam ambulat.

CARPATHIVM.] Mare iuxta Carpathon insulam, Carpathos insula contra Ægyptum, a qua vicinum Pelagus Carpathium appellatum est. Horat.

Quicumque Bithyna lacessit
Carpathium Pelagus carina.

CALPE RELICTA.] Illa columna Herculis. Plin. lib. 3. Abila Africæ, Europæ Calpe laborum Herculis metæ, quam ob causam indigenæ columnas eius Dei vocant, sensus in Oceanum exibit. Seneca in Hercule Oeteo *Radiante clarum gestantem caput.*

His fracta Calpe manibus elisit fretum.

HERCVLEO GVRGITE] Vbi Hercules columnas fixisse dicitur, Possidonius ait Solem in finitimis Oceani littoribus maiorem occidere ingenti cũ strepitu, ac si in illo restringendo pelagus efferuescat. Virgil. lib. 4. Æneid.

Oceani finem iuxta solemque cadentem
Vltimus, Æthiopum locus est.

Ausonius.

Condiderat iam solis equos Tartessia Calpe,
Studebatque freto Titan insignis Ibero.

TVMIDA ALVTA.] Manticula, vel aluta pellis mollior calceis & cæteris operibus faciendis concinnata, ex qua facta erat crumena.

TENSO FOLLE.] Vt pleno sacculo reuertaris. Probus.

OCEANI MONSTRA.] Tritones, Nereides.

ILLE SORORIS.] Furens Orestes.

IPHIGENIA.] Soror Orestis, quem purificauit.

EVMENIDVM.] Furiarum. Horatius,

Et intorti capillis Eumenidum recreantur angues.

HIC AIAX.] Quia & ipse insanit.

ITHACVM.] Vlyssem.

CONCISVM ARGENTVM IN TITVLOS.] Pecuniæ quæ variis titulis, & imaginibus signantur.

NIL FASCIA NIGRA.] Nubes ducta per cœlum.

ET ZONAM LÆVA.] In qua fert solidos. Zona se præcingebant, Sacra pagina, Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. & Horatius.

Ibit ibit, qui Zonam perdidit.

Zonam enim tenebit sinistra, dextra vero natabit.

TAGVS.] Hispaniæ.

PACTOLVS.] Lydiæ fluuij auriferi sunt.

PICTA SE TEMPESTATE.] Qui naufragium fecerant casum pingebant in tabula. Persius Saty. I.

— & cantet si naufragus assem
Protulerim. cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes.

DISPOSITIS PRÆDIVES HAMIS.] Per translationem disciplinæ militaris sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam vrbis cum hamis & cum aqua vigilias curare consueuerant vicibus. Tacitus, esse illi proprium militem cohortium vrbanarum, nec defuturas vigilum cohortes. Hamæ vasa aquaria rotundioris formæ & ventris globosioris, quibus ad extinguenda incendia vtebantur. Plinius lib. 10. epist. aduersus incendia hamæ meminit, & alioqui, nullus inquit vsquam in publico sipo, nulla hama: M. habent mendose. Brittanicus, & Curio legunt armis, hamis lib. N. P.

LICINVS.] Hic ex liberto Claudij præfectus factus est, pro diuite ponitur.

Nunc Licinij in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

Persius.

PHRYGIA COLVMNA. Marmorea præciosa. Tibullus,

Quidue domus prodest Phrygiis innixa columnis.

ELECTRVM.] Gemma nigri coloris. electrum etiam est metalli genus,

quoties in auro quinta argenti portio comnixta est, Tertullianus.

NON ARDENT CYNICI.]Id est Diogenes, qui in dolio dormiebat, & similes. Tacitus Ann. lib. 16. maxime intentus Demetrio Cynicæ Institutionis Doctori, quæ secta re vera à Stoica tunica tantùm distat, id est quod nudius, & inuerecundius Cynici, quæ velant, & tegunt Stoici. Seneca epist. 63. Demetrium virorum optimum mecum circumfero, & relictis conchiliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror.

ALEXANDER.]Macedonum Rex in illo dolio.

SOCRATICI PENATES.]Ædes Socratis.

EPICVRE.]Epicurs, qui summum bonum ponebat in voluptate, aqua & cibario pane contentus erat, Laërtius.

PARVIS HORTIS.]Nam Athenis hortos habuit, quos primus instituit.

GESTIS ÆQVANDA.]Cum magnis periculis res magna efficitur.

BIS SEPTEM ORDINIBVS.]Gradibus equitum Romanorum.

OTHONIS.]Roscij Tribuni plebis, qui tulit legem, qua prohibebatur sedere in quatuordecim gradibus, qui quadringenta sestertia non habebat.

SI RVGAM TRAHIT.]Si displicet.

CROES.]Regis Lydiæ.

TERTIA QVADRINGENTA.]Censum trium equitum.

NEC DIVITIÆ NARCISI.] Narcissus libertus Claudij Eunuchus potentissimus, idemque ditissimus, de quo vide Tranquillum in Claudio, & Tacitum Anna. lib. 11. qui inter cætera hæc refert, Messalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe & aliquando ira, tanta inter extrema superbia agebat, ac ni cædem eius Narcissus properauisset, verterat pernicies in accusatorem, prorupit Narcissus, denunciatque centurionibus & Tribuno, qui aderant exequi cædem.

SATYRA XV.

Ad Volusium Bithynicum de immanitate & superstitione Ægyptiorum, qui præpostera religione feras colunt homines iugulant, fetinis carnibus abstinent, humanis vescuntur.

QVIS nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa pauet saturam serpentibus ibim.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant vbi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic cæruleos, heic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morsu.
10 *O sanctas genteis, quibus hæc nascuntur in hortis*
Numina. lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum iugulare capellæ:
Carnibus humanis vesci licet: attonito cùm
Tale super cenam facinus narraret Vlysses
15 *Alcinoo, bilem, aut risum fortasse quibusdam*
Mouerat, vt mendax aretalogus. in mare nemo
Hunc abiicit, sæua dignum, veráque Charybdi,
Fingentem immaneis Læstrygonas, & Cyclopas?
Nam citiùs Scyllam, vel concurrentia saxa
20 *Cyaneis, plenos & tempestatibus vtreis*
Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,
Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phæaca putauit?
Sic aliquis merito nondum ebrius, & minimum qui
25 *De Corcyræa temetum duxerat vrna:*
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper Consule Vinco
Gesta super calidæ referemus mœnia Copti:
Nos vulgi scelus, & cunctis grauiora cothurnis.
30 *Nam scelus (à Pyrra, quamquam omnia syrmata voluas,*
Nullus apud tragicos populus facit) accipe nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit æuo.
Inter finitimos vetus, atque antiqua simultas:
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus:
35 *Ardet adhuc Combos, & Tentyra. summus vtrinque*
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum
Odit vterque locus, cum solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit. sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
40 *Visa inimicorum primoribus, ac Ducibus: ne*
Lætum, hilaremque diem, ne magnæ gaudia cenæ
Sentirent positis ad templa, & compita mensis,
Peruigilique toro, quem nocte, ac luce iacentem
Septimus interea Sol inuenit. horrida sanè
45 *Ægyptus: sed luxuria, quantum ipse notaui,*
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde quod & facilis victoria de madidis, &

Blæsis, atque mero titubantibus. inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Vnguenta, & flores, multæque in fronte coronæ 50
Hinc ieiunum odium. sed iurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus. hæc tuba rixæ.
De hinc clamore pari concurritur. & vice teli
Sæuit nuda manus. pauca sine vulnere malæ
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus 55
Integer. adspiceres iam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Ossa genis, plenos occulorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen, & pueriles
Exercere acies, quòd nulla cadauera calcent, 60
Et sanè quòd tot rixantis millia turbæ
Sic viuunt omnes. ergo acrior impetus, & iam
Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere domestica seditione
Tela. nec hunc lapidem, qualis se Turnus, & Aiax, 65
Et quo Tydeides percussit pondere coxam
Æneæ: sed quem valeant emittere dextræ
Illis dissimiles, & nostro tempore natæ.
Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero.
TERRA malos homines nunc educat, atque pusillos. 70
Ergo Deus, quicunque adspexit, ridet, & odit.
A diuerticulo repetatur fabula. postquam
Subsidijs auctus pars altera promere ferrum
Audet, & infestis pugnam instaurare sagittis,
Terga fugæ celeri præstantibus omnibus instant, 75
Qui vicina colunt vmbrosa Tentyra palmæ
Labitur heic quidam, nimia formidine cursum
Præcipitans, capiturque: ast illum in plurima sectum
Frusta, ac particulas, vt multis mortuus vnus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit. 80
Victrix turba, nec ardenti decoxit aëno,
Aut verubus: longum vsque adeò, tardúmque putauit
Exspectare focos, contenta cadauere crudo.
Hinc gaudere libet. quòd non violauerit ignem,
Quem summa cæli raptum de parte Prometheus 85
Donauit terris. elemento gratulor, & te

Exultare reor. sed qui mordere cadauer
Sustinuit, nihil vnquam hac carne libentiùs edit.
Nam scelere in tanto ne quaeras, & dubites, an
90 *Prima voluptatem gula senserit. vltimus autem*
Qui stetit absumpto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, vt fama est, alimentis talibus vsi
Produxere animas: sed res diuersa, sed illic
95 *Fortunae inuidia est, bellorúmque vltima, casus*
Extremi, longae dira obsidionis egestas.
Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi. sicut modo dicta mihi gens
Post omneis herbas, post cuncta animalia quidquid
100 *Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis*
Pallorem, ac maciem, & tenueis miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua, quisnam hominum veniam dare, quísue Deorum
Viribus abnuerit dira, atque immania passis,
105 *Et quibus ipsorum poterant ignoscere Manes,*
Quorum corporibus vescebantur? melius nos
Zenonis praecepta monent. nec enim omnia, quaedam
Pro vita facienda putat, sed Cantaber vnde
Stoicus, antiqui praesertim aetate Metelli?
110 *Nunc totus Gratas, nostrasque habet orbis Athenas.*
Gallia causidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, & par
Virtute, atque fide, sed maior clade Saguntus
115 *Tale quid excusat: Maeotide saeuior ara*
Aegyptus. quippe illa nefandi Taurica sacri
Inuentrix, homines, vt iam quae carmina tradunt
Digna fide credas tantùm immolat. vlterius nil,
Aut grauius cultro timet hostia, quis modo casus
120 *Impulit hos? quae tanta fames infestáque vallo*
Arma coëgerunt, tam detestabile monstrum
Audere? an ne aliam terra Memphitide sicca
Inuidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones vnquam,
125 *Sauromataeque truces, aut immanes Agathyrsi,*

Hæc sæuit rabie imbelle, & inutile vulgus,
Paruula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et breuibus pictæ remis incumbere testæ.
Nec pœnam sceleri inuenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt, 130
Et similes, ira, atque fames mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit, hæc nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet caussam lugentis amici,
Squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem 135
Circumscriptorem, cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi. quis enim bonus, aut face dignus 140
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Vlla aliena sibi credat mala? separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, diuinorúmque capaces,
Atque exercendis, capiendísque artibus apti 145
Sensum à cœlesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram spectantia. mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque, mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præstare iuberet, 150
Dispersos traherem populum, & migrare vetusto
De nemore, & proauis habitatas linquere siluas:
Ædificare domos, Laribus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Vt collata daret fiducia: protegere armis 155
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere ciuem:
Communi dare signa tubâ, defendier iisdem
Turribus, atque vnâ portarum claue teneri.
Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. quando leoni 160
Fortior eripuit vitam leo: quo nemore vnquam
Exspirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem
Perpetuam: sæuis inter se conuenit vrsis.

165 *Ast homini ferrum lethale incude nefanda*
Produxisse parum est, cùm rastra, & sarcula tantum
Assueti coquere, & marris, ac vomere lassi
Nescierint primi gladios excludere fabri.
Adspicimus populos, quorum non sufficit iræ
170 *Occidisse aliquem: sed pectora, brachia, vultum*
Crediderint genus esse cibi. quid diceret ergo,
Vel quò non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen?

IN SATYRAM XV.

Ad Volusium scribit Iuuenalis de sacris Ægyptiorum.

Ibim.] Ibis auis Ægypti est, illi naturale cum serpentibus est bellum. Ammianus inter Ægyptias alites Ibis sacra est, & amabilis, & innocua. Ideo quod nidulis suis ad cibum suggerens oua serpentum, efficit, vt rarescant mortiferæ pestes assumptæ.

Cercopitheci.] Cercopithecus caudata simia est. Mart. lib. 14.

Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret cercopithecus eram.

Dimidio Memnone.] Thebas intelligit vrbem Ægypti in templo Serapidis Memnonis statua saxea, vbi radiis solis icta est vocalem sonum reddens. Tacitus Anna. 11. & Plinius lib. 37. cap. 7. vel statua Memnonis filij auroræ, ita arte quadam mechanica composita, vt humana voce regem & solem salutaret. Postea Rex Cambyses volens hanc rem cognoscere, partem statuæ abscidit, & sic postea solem tantum non Regem salutabat. Dimidio.) id est aperto, & diuiso, hæc doctissimus Dousa filius in notis in Catullum. Strabo vero lib. 17. ait se in Thebis Ægyptiis vidisse duos altissimos colossos, ex integris lapidibus inter se propinquos, quorum alterius superiores partes iam corruerant ob terræmotum, huius pars illa, quæ reliqua erat super base circiter horam primam, vt inquit, sonum emisit ingenti præsente multitudine, sic erat artificiose in ipsa base incisa. dimidius, ergo Memnon hic dicitur habita ratione partis quę corruerat, de quo Eusebius in Chronicis, Hic est Amenophis, seu Amenoptes, quemquidam Memnonem putant lapidem loquentem, quippe cuius statua, vsque ad aduentum Christi sole dicebatur Oriente vocem dare. Memnonem putant lapidem loquentem in v. va. vat. Memnonem putant. cuius & pro Memnonem habes in o. v. Memnonem in fa. Menopem in lut. Memnon. Narrant istud tanquam rem admiratione dignam. Pausanias lib. 1. Diodorus lib. 2. cap. 6. Plinius lib. 36. Natu. Hist. cap. 7. & Suidas, Radio inquit statuam attingente, quod fit Oriente sole, non potest non videri mirabile cũ radio in os incidente statua loquatur, oculi apparent hilares ad lumen.

ad lumen. Cornelius Tacitus lib.2.Germ.aliis quoque miraculis intendit animum, quorum præcipua fuere Memnonis ſaxea effigies, vbi radiis ſolis icta eſt vocalem ſonum reddens. Hoc idem contigiſſe Côloſſo Thebis teſtatur Strabo lib. 17. Illi autem faciunt hunc Memnonem Regem non Ægyptiorum, ſed Æthiopum, quod ex Æthiopia, vel potius è Suſis ciuitate Perſarum ad bellum Troianū venerit, quem Diodorus ducem tantum facit præſidij. miſſi Troianis à Theutano Aſſyriorum Rege, atque fuiſſe filium Tithonis præfecti Perſarum. Heſiodus in Theogonia facit auroræ Tithoniſque filium. Pauſanias ex Æthiopia in Ægyptum veniſſe, & penetraſſe vſque Suſa, fuit, & alius Memnon nomine Artaxerxes Rex Perſarum, de quo auctor circa Olymp.93.

MAGICE.] Quia arte magica id fieri putabatur.

ATQVE VETVS THEBE.] Iacet deuaſtata cum centum portis. Thebas condidit Buſiris in Ægypto. Diodorus.

CÆRVLEOS.] Æluros Legit Brodeus, Ælurus fuit Deus Ægyptiorum. Herod piſces maris, cæruleus eſt æquoreus.

HIC PISCEM FLVMINIS.] Turneb. lib. 8. cap. 17. cærulei, ſunt marini.

ARETALOGVS.] Comœdus, hiſtrio, nugatores garruli hoc nomine cenſentur, Criſpinus loquaciſſimus appellatus eſt, quia garrula carmina ſcripſerat, vt ait Porphirio in 1. Sermonum. Turnebus lib. 10.

LESTRIGONAS, ET CYCLOPAS.] Quos perhibent hominibus paſtos, extinctos: veſcebantur hi carnibus humanis. Plinius, Leſtrigonæ in formiis, Ciclopes in Sicilia habitarunt.

SCYLLAM.] Periculum maris. Tibullus,

— Scylla ſæuo conterruit impetus ore.

Ea quæ de Vlyſſe fabulæ ferūt, quomodo triremi Tyrrhenum Scyllam fugerit ſpoliare hoſpites ſolitam ſcribit, Palephatus in incredibilium lib. 1. Syrenas quoque fuiſſe meretrices, quæ deciperent nauigantes.

SAXA CYANES.] Scopulos, Cyanes inſulæ, quæ eſt in Ponto. Plinius. finxerūt duas inſulas in Boſphoro Thracio inſtabiles eſſe, quæ non ſine periculo nauigantium concurrerent.

VTRES.] Saccos ex corio, plenos tempeſtatibus, & ventis contrariis Æolus tradidit Vlyſſi, vt ait Homerus.

TENVI VERBERE CIRCES.] Virga magica Circes filiæ Solis.

ELPENORA PORCIS.] Vnum ex ſociis Vlyſſis porcis à Circe factis. Martialis,

Conductum repetens nocte iubente Larem,
Pene inuitatus obit ſæuis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit vſque Lares.

Apud Circem ebrius lapſus è ſcalis periit. Vide plura apud Homerum.

PHOEACA.] Pheacenſes exiſtimauit medici cerebri.

CORCYREA TEMETVM.] Vinum de insula Phæacum. Horatius lib. 1. Epist. ad Florum,

Pullos, oua, cadum temeti.

CONSVLE IVNCO.] Cuiacius Iurisconsultorum nostri temporis facile princeps in titulum de fideicommiss. libertatib. Senatusconsultum Iuncianum à Consule Iunco, cuius meminit Lampridius. In Commodo male legitur vnico, cùm nullus Consul vnicus reperiatur in Fastis Romanorum. Brittannicus legit Vinco, & malè, quia Tranquillus in Nerone Vincianæ coniurationis facit mentionem.

MOENIA COPTI.] Coptus Ægyptiorum, & Arabum vrbs communis, in qua Isis colitur. Strabo.

CVNCTIS GRAVIORA COTHVRNIS.] Tragicis narrationibus. Cothurnus calceamēti genus erat subere subleuatum, quo tragœdiarum actores vtebantur, vt proceriores viderentur, hîc pro tragœdia sumitur, & apud Horatium,

Grande munus Cecropio repetes cothurno.

A PYRRHA SYMATA VOLVAS.] Tragœdias, quæ in Symate veste Tragica aguntur, sensus, à dilunio Deucalionis & Pyrrhæ.

SCELVS.] Vt homo hominem comederit, vt populus Ægyptius nuper fecit consule Iunco, tempore Neronis.

ANTIQVA SI MVLTAS.] Vetus odium latens.

COMBOS ET TENTYRA.] Combos ciuitas Ægypti, in qua Crocodilus colebatur. Tentyra est etiam vrbs Ægypti. Tentyritæ Crocodilos non metuunt. odium inter Ægyptios ob religionem, nam qui Combi habitant Crocodilum colunt, qui Tentyræ accipitrem.

SEPTIMVS SOL.] Septimus dies.

BARBARA TVRBA NON CEDIT CANOPO.] Ægyptus non cedit oppido illi famoso, vbi templum erat Serapidis, ad cuius sacra magna vis hominum confluebat non sine nequitia. hæc pars Ægypti est horrida quidem, sed non est minus luxuriosa.

IEIVNVM ODIVM.] Atrox.

BLESIS.] Titubantibus, & imperfectè loquentibus.

SALTATVS.] Tripudium.

NEC HVNC LAPIDEM.] Talem lapidem quali Turnus & Aiax se defenderunt contra Æneam & Hectorem, Homerus describit illum lapidem. Iliad. 7. Virgilius Æneid. 12.

Vix illum lectibus sex ceruice subirent,

Qualia nunc hominum producit corpora tellus,

TYDIDES.] Diomedes percussit Coxam Æneæ saxo miræ magnitudinis, vt ait Virg. Æneidos 5.

TENTYRA PALMÆ.] Quæ in Ægypto vbi vrbs Tentyra est, plurima prouenit.

ELEMENTO GRATVLOR.] Igni. Prometheus filius Iapeti ex Asia Nympha ignem subripuit, & in ferulam coniecit currens, iactansque ferulam, ne spiritus interclusus vaporis extingueretur, ad homines detulit, quare Deorum indignatione Pandora terris immissa pœnæ

causa per eam mulierem, patefacto dolio omnia pestium genera eruperunt.

VASCONES VT FAMA EST.] Michaël Montanus lib. 1. cap. 30. putat Iuuenalem loqui de Vasconibus Aquitaniæ populis, quorum maiores ait obsidionem à Cæsare factam in vrbe Alexia tolerasse fame, & cadaueribus seruorum, fœminarum, & pugnæ nón idonearum personarum, sed fallitur vir alioqui doctus, eo quod non animaduerterit, hos Vascones infra dici Cantabros. Cantabri sunt populi Hispaniæ, in quorum regionibus sunt. Vascones populi sunt in Iberia iuncti Cantabris, obsessi à Metello, vel à Sertorio, ne fidem populi Romani violarent, cadaueribus vescebantur, dum fame vrgerentur, vt scribunt Plutarchus & Apianus, & Florus.

MANES.] Animæ quæ à corporibus discesserunt.

ZENONIS.] Philosophi, qui pro vita tuenda ab honesto recedendum non putat.

SED CANTABER VNDE STOICVS.] Interpres Dionis Augustus Astures vicit, & Cantabros gentes Celticas, opera Terentij Varronis. Cantabri gens Hispaniæ à vocabulo vrbis, & Iberi amnis cui insidunt appellati, horum animus pertinax, & magis ad latrocinandum, & ad bellandum, vel ad perpetiendum verbera semper parati. Vasco ergo Cantaber non Saguntinus est, vt interpres à Pytheo editus putat. Hor.

Seruit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber.

ÆTATE METELLI.] Tempore Metelli secta Stoicorũ non erat. Quintus Metellus aduersus Sertorium bellum gerebat, alius fuit Metellus qui bellum gessit aduersus Iugurtham.

GRAIAS NOSTRASQVE ATHENAS.] Rómanas literas, & Græcas orbis nunc habet.

GALLIA.] Loquitur de Gallia Lugdunensi, vnde supra idem ait, Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

THVLE.] Thule vltima insula Oceani inter Septentrionalem & Occidentalem plagam vltra Brittanniam, à sole nomen habens, quia in ea solstitium æstiuum sol facit, & nullus vltra eam dies est, vnde & pigrũ, & concretum est eius mare. Isid. Thule Islandia nunc dicitur. Virg.

Tibi seruiat vltima Thule.

SAGVNTVS.] Hæc vrbs vltra Iberum sita est in radicibus montis, qui Hispanos à Celtiberis diuidit, huius fines ingressus Hannibal, peruastatis passim agris ad obsidionem venit, octo continuis mensibus animo & corpore fatigatus, Saguntum vi cœpit. Liuius Decad. 3. lib. 1. Seneca Contro.. Necessitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium est, hæc excusat Saguntinos, quòd patres occiderint. Petronius, Lucanus.

Obsessum pæne gessit quæ Marte Saguntum.

Saguntini oppressi ab Hannibale, humanas edere carnes, nec hæreditatem expectabant, ergo Saguntus maior clade quam nobilis ille populus, Vascones scilicet.

MOEOTIDE SAEVIOR ARA.] Plinius scribit Meotim lacum esse in Scythia qui Tanaim recipit, iuxta erat templum Dianæ Tauricæ, in cuius ara viui hospites immolabantur. Sidonius Apollinaris.

ÆGYPTVS SAEVIOR.] Quia comedit homines.

MEMPHITIDE.] Memphis Ægyptiorum regia vrbs magna, & populosa. Mart.

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis.

NOLENTI CRESCERE NILO.] Nolenti crescere, & idundare Ægyptũ, quæ quotannis crescente fluuio solet inundari. Nam Nilus solus inter reliqua flumina adeo, vt scribit Diodorus, æstate crescit, quum decrescant cætera, vt totam inundet Ægyptum, hyeme minuitur, quum reliqua augeantur.

SAVROMATAE.] Sarmatæ populi Scythiæ. Plinius lib. 3. Sauromatas gentes Scytharum Græci vocant, quas Sarmatas Romani dicunt. Horatius,

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos
Viuunt, & Cererem ferunt.

AGATHYRSI.] Populi sunt in Scythia iuxta Sarmatas, ora artusque pingentes, vt metum incutiant hostibus. Mela lib. 2. Maro Æneid.

Cretesque, Driopesque fremunt, pictique Agathyrsi.

VVLGVS.] Ægyptiorum.

PHASELIS.] Testaceis, nauiculis pictis, quibus in Nilo vtuntur. In quibusdam manuscriptis legitur faselis, sed doctiss. vir Pontacus in Notis in Eusebium probat phaselis scrib. Ouidius lib. 2. Amor.

Errat vt à ventis discordibus acta phaselus.

Seneca in Hercule Oeteo.

Me nulla vocet turba potentum,
Stringat tenuis littora puppis,
Nec magna meas aura phaselos
Iubeat medium scindere pontum.

Et Virgil.

Et circumpictis vehitur sua rura phaselis.

SQVALOREMQVE REI.] Sordes in reo ex mœrore & luctu contractę, vide Gellium: Squalor à squammis ducit significantiam, quia in corporibus est sordium alta congeries, quas squalere dicunt. Nonius squallens, splendens significat, quòd à squammis venit, vt *squammis auroque trilicem.* nam à squalore sordidum significat, vt, squallentem barbam, Veteres Grammat.

CIRCVMSCRIPTOREM.] Tutorem, vel deceptorem. Brittan. Ploramus pupillum, qui raptorem bonorum vocat in ius.

ET MINOR IGNE ROGI.] Minor quàm qui cremari meruerit. nam scribit Plin. lib. 7. priscis fuisse morem, hominem prius quàm edito dente non cremari.

ARCANA.] Face arcana. dignus sacerdotio. Acob id. iustus. Arcana mystica. Suetonius in Nerone, Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusinis sacris, quorum imitatione impij & scelerati voce præconis submouentur, interesse non ausus est.

FACE DIGNVS.] Castus & pius. in festis Cereris matronarum pudicitia exigebatur, & etiam viri integritas, qui enim currentes facem tenebant, integerrimi, & sine vitio eligebantur, nunc dicit Poëta non esse pium aliquem, vt illi qui in sacris Cereris requirebantur.

MIGRARE VETVSTO DE NEMORE.] Horat.

Oppida cœperunt munire & ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.

PYTHAGORAS.] Philosophus abstinuit omnibus animalibus, tanquam carne humana. Diogenes in vita Pythagoræ, & Lycon Iaseus.

ET VENTRI INDVLSIT.] Qui & legumina timeret edere, & à quibusdam abstinuit. Aristoxenus in Gellio scribit Pythagoram, nullo legumine sępius esse visum, quàm faba.

SATYRA XVI.

Ostendit quanta commoda & priuilegia, leges & imperatores iis qui militiam sequuntur, indulserint.

QVis numerare queat fœlicis præmia, Galle,
Militiæ? nam si subeantur prospera castra,
Me pauidum excipiet tyronem porta secundo
Sidere: plus etenim fati valet hora benigni,
Quàm si nos Veneris commendet epistola Marti,
Et Samia genitrix quæ delectatur arena,
Commoda tractemus primùm communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat: immò & si pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos Prætori ostendere denteis,
Et nigram in facie tumidis liuoribus offam,
Atque oculos medico nil promittente relictos.
Bardaicus Iudex datur hæc punire volenti,
Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ,
Legibus antiquis castrorum, & more Camilli

Seruato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à signis. iustissima Centurionum
Cognitio est igitur de milite, nec mihi deerit
Vltio, si iustæ defertur caussa querelæ.
20 *Tota cohos tamen est inimica, omnesque manipli*
Consensu magno officiunt. curabitis, vt sit
Vindicta grauior, quàm iniuria? dignum erit ergo
Declamatoris Mutinensis corde Vagelli,
Cùm duo crura habeas, offendere tot caligatos,
25 *Millia clauorum. quis tam procul absit ab vrbe?*
Præterea, quis tam Pylades molem aggeris vltra
Vt veniat? lacrymæ siccetur protinus, & se
Excusaturos non sollicitemus amicos.
Da testem, Iudex cùm dixerit: audeat ille
30 *Nescio quis, pugnos vidit, qui dicere vidi,*
Et credam dignum barbâ, dignumque capillis
Maiorum. citiùs falsum producere testem
Contra paganum possis, quàm vera loquentem,
Contra fortunam armati, contraque pudorem.
35 *Præmia nunc alia atque alia emolumenta notemus*
Sacramentorum. conuallem ruris auiti
Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,
Aut sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum patulo coluit puls annua libo,
40 *Debitor aut sumptos pergit non reddere nummos,*
Vana superuacui dicens cheirographa ligni:
Expectandus erit, qui lites inchoët annus
Totius populi: sed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ, toties subsellia tantùm
45 *Sternuntur, iam facundo ponente lacernas*
Cædicio, & Fusco iam micturiente, parati
Digredimur, lentáque fori pugnamus arena.
Ast illis, quos arma tegunt, & balteus ambit,
50 *Quod placitum est, illis præstatur tempus agendi,*
Nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis prætereà testandi militibus ius
Viuo patre datur: nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,

Omne tenet cuius regimen pater. ergo Coranum
Signorum comitem, castrorúmque æra merentem, 55
Quamuis iam tremulus, captat pater: hunc labor æquus
Prouehit, & pulcro reddit sua dona labori.
Ipsius certè Ducis hoc referre videtur,
Vt qui fortis erit, sit felicissimus idem,
Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes. 60

IN SATYRAM XVI.

VENERIS.] Si Venus per epistolam nos commendet Marti, qui Deus est belli, cum quo Venus consuetudinem habebat.

GENITRIX.] Iuno quæ Martem peperit tacto flore in hortis Floræ Deæ. Pausanias, Varro, & Lactantius.

SAMIA ARENA.] Iunoni ludi celebrabantur in Samo Icarij maris parua insula. Virg.

> *Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam*
> *Posthabita coluisse Samo.*

Scribit Pausanias in Achaicis Iunonis templum in Samo, ab Argonautis conditum. *arena*, quia arenosa, & parum fœcunda est

TOGATVS.] Non exercens militiam.

OFFAM.] Tumorem ex percussione.

BARDAICVS IVDEX.] Gallicus & militaris, barbarusque. Hadrianus Iunius. Amm. Marcellinus lib. 15. in Constantio, loquens de Gallia, Per hæc loca hominibus Paulatim excultis viguere studia laudalilium doctrinarum inchoata per Bardos, & Eubages, & Druidas: & Bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt. hinc Lucanus,

> *Plurima securi fudistis carmina Bardi.*

Per Bardaicum Iuuen. non bardum & stultum, vt quidam ineptè ominantur, sed Gallum militem, barbarum, non Romanum intelligit. Bardaicus, Libellus Collegij Catharinæ, & Iunij habent, vulgati Bardiacus, & malè.

SVRÆ.] Suræ propriè dicuntur, quæ carnis copia in parte tibiæ posteriore complentur.

GRANDES SVRAE.] Magnæ tibiæ, quia centurio magnis viribus & procera statura eligebatur.

MORE CAMILLI.] Dictatoris, qui alter Romulus dictus est. Lucius Furius Camillus, cùm ei dies à Lucio Apuleio Tribuno plebis dicta esset, in exilium sua voluntate abiit, idem Roma capta à Gallis, cum

exercitu eos Italia expulit. Plutarchus in vita Camilli

NE VALLVM LITIGET EXTRA.] Miles datur militi iudex ex instituto Camilli, ne miles extra castra in ius vocetur, toto titulo De re militari Manipulum, exercitus minimam manum esse ait Varro, quæ vnum sequitur signum.

MANIPLI.] Sunt manus militum, vel collecti viri. Nonius. Virg. lib. 11. Æneid.

Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas,
Disiectique duces, desolatique manipli.

MVTINENSIS VAGELLI.] Causidici è Mutina audacissimi, qui causas periculosissimas suscipiebat. Mutina est ciuitas Galliæ Cisalpinæ. Britannicus legit de Mulino, & malè.

CALIGATOS.] Manipulares milites.

MILLIA CLAVORVM.] Quia militum caligę clauis suffixæ erant. Turneb. lib. 4. cap. 7. Laticlauium, maior abolla.

CVM DVO CRVRA HABEAS.] Quum possit aliqua pars corporis violari. nam ab aduersariis crura sufringebantur. Cicero pro Roscio, Quod si luce quoque canes latrent, cùm deos salutatum aliqui venerint, opinor his crura suffringantur.

PYLADES.] Cicero de amicit, qui clamores tota cauea nuper in hospitis mei, & amici M. Pacuuij noua fabula, cum ignorante Rege vter esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, vt pro illo nacaretur, Orestes autem ita vt erat Orestem se esse perseueraret. Mart. lib. 6. in Marcum,

Vt præstem Pyladem aliquis, mihi præstet Orestem,
Hoc non fit verbis Marce vt ameris ama.

LACRYMÆ SICCENTVR.] Id est amoue lachrymas, quia tibi nihil proderunt.

DIGNVM BARBA.] Dignum grauitate maiorum. Persius,

— barbatum hoc crede magistrum
Dicere.

Horatius. Satyra 3. lib. 2.

— tempore quo me
Solatus iussit sapientem pascere barbam.

Solebant Philosophi, vt seueriori, & tristiori aspectu essent, barba longiore prodire in publicum.

CONTRA PAGANVM.] Contra eum qui non militat.

CVM VALLEM RVRIS AVITTI.] Planitiem montibus circumseptam.

SACRVM SAXVM.] Limitem. apud Antiquos adhibito sacrificio disponebantur termini. Siculus Faccus. Effodit, auulsit. Seneca in Hippolyto

Nullus in campo sacer diuisit agros arbiter.

POPVLIS LAPIS.] Cuiacius Obseruat. lib. 11. cap. 5. hac de re plura refert. Horatius,

Aut amite leui rara tendit retia,
Vel agna festis cæsa terminalibus.

Libo vetulo] Sacrificio quod primum constitutum est, dum ruris numinibus sacrificabatur, placenta ex lacte, sesamo ac melle subacta, Romani libum nominant. Atheneus lib. 3.

Pultis.] Genus cibi, quod constabat aqua, & farina, additis melle & ouis, caseo, pul- potissimum datur pullis in auspiciis. P. Fe[illegible]us.

Chirographa ligni.] Negans debitum, ligni, quia antiqui in tabulis ligneis scribebant.

Subsellia.] Erant authore Pediano tribunorum, quaestorum, & huiusmodi minora iudicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec in tribunalibus, sed in subselliis considebant.

Qui lites inchoet annus.] In causis certus ac legitimus dierum ordo obseruandus & diu spectandum erat. Igitur dies apud Iuuenalem, vt apud Terent. in Heaut. dum moliuntur, dum [illegible]atur annus est.

Caedicio.] Hic fuit Iudex tempore Iuuenalis, deponente lacernas, dum alios spectat.

Fusco iam micturiente] Aurelius Fuscus alter index equestris ordinis. Micturire mingere cum desiderio, hic meiere simpliciter significat, quasi long[e] sedendi, & expectandi mora vrinam contrac[t]am emittente. Macrob. lib. 3. iudex testes poscit: postea it mictum, vbi redit, ait se omnia audiuisse, tabulas poscit, litteras inspicit, vix prae vino sustinet palpebras.

Balteus.] Cingulum militare. Seneca in Hercule furente,

Aurato religans ilia Balitheo. Persius:

Sed lato Balitheus auro pretegit.

Sufflamine longo.] Longa mora sufflamen est quod rotae obiicitur, vt cursum sistat. Sensus: nec causa porrogatur.

Laborae militiae.] Castrense peculium liberum habent filiifamilias, l. cum oportet, C. de bonis quae liberis.

Coranum.] Hunc ponit pro eo qui captatur aemulatione. cum pater cognoscat in arbitrio filij sui Corani esse, quod labore militiae comparauit blanditiis captat, vt ab eo scribatur hares, alluditque ad illum Coranum de quo Horatius

Captatorque dabit risus Nasica Corano.

Phaleris et torquibus.] Phalerę ornamenta militaria equorum. Virg. lib. 5. Æneid.

Primus equum Phaleris insignem victor habeto.

Torquibus militaribus vtebantur Romani sumpto more à Gallis, vnde torquati, à torque quem detraxit Manlius interfecto Gallo dicti. Torques significat circulum aureum colli ornamentum & summi pectoris. Propert.

Torquis ab incisa decidit vnca gula.

FINIS.

INDEX

OMNIVM FERE VOCABVLORVM

QVÆ IN OMNIBVS D. IVNII IVVENALIS SATYRIS reperiuntur, vnâ.

CVM

RERVM, EPISTHETORVM AC PHRASIVM SINGVLARIVM ANNOTATIONE: tàm ad linguæ Latinæ, quàm ad poëseos rectum vsum concinnatus ac editus.



PARISIIS,

Apud ROBERTVM FOÜET, via Iacobæa, sub signis Temporis & Occasionis.

M. DC. XIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Tipographus Lectori.

CVM *principes poëtas Indicum luculentium corollariis ornatos iam fuisse, Philomusis gratularer mihiq; gauderem, Benigne Lector, vnum Aquinatem Aquilámque Satyrographorum hoc ornatu adhuc caruisse grauiter ferebam. Noua igitur Iuuenalis cum Scholiis & interpretationibus suis editione, parata, suscepta, absoluta, nondum confectum esse negotium credidi, nec volumen ad vmbilicum ducendum, nec plane mihi conquiescẽdum donec id quod deerat supplerem, & absolutissimum atque* εὐμηχανώτατον *Indicem* τοῦ πάνυ τῶν λέξεων *adiungerem. Hoc plerisque pergratũ, nemini quantumuis* δυσκόλῳ & δυσαρέστῳ *ingratum fore existimo. Ceterùm si quædam etiam hic* σφάλματα *exciderint, lubens his te innouisse velimus, & humanitate aliquid condonare, bonis vti frui, praua dirigere, & erranti viam comiter monstrare. Bene vale.*

INDEX
ABSOLVTISSIMVS
OMNIVM FERE VOCABVLORVM QVÆ IN D. IVNII IVVENALIS Satyris reperiuntur.

Numerus in hoc Indice prior isto charactere i. ij. v. x. &c. Satyram, posterior verò arithmeticus 1.2.3. 4.5.6. &c. numerum versuum cuiusque Satyræ designat.

A

B.

C.

E.

H.

I.

iuuencam

M.

O.

P.

Q.

S.

T.

V.

vitium

FINIS.